

X V

Biblioteca Centrala Universitatii
"Carol I" Bucuresti

ΔΙΟΔΩΡΟΥ

ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΗ ΙΣΤΟΡΙΚΗ.

DIODORI

BIBLIOTHECA HISTORICA.



EX RECENSIONE ET CUM ANNOTATIONIBUS

LUDOVICI DINDORFII.



VOL. V.



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCLXVIII.

1868



Inc. 289

~~128234~~
Biblioteca Centrală Universitară
"Carol I" București

Cota 10433

100

B. C. U. "Carol I" - Bucuresti



C201801193

1083. v. 10

LIPSAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

2790970

PRAEFATIO.

Quae in praefationibus ad priora quattuor volumina dixi de variis vitiorum generibus quibus Diodori codices sunt depravati, si augere instituerem iis quae nondum attigi, quum multo plura mihi forent dicenda quam huic loco convenient, his in aliud tempus dilatis nonnulla tantum iis quae dixi partim augendis partim confirmandis idonea adiiciam. Ac primum fragmentis praeter illud quod ad librum 10, 20, referendum illic apponere licuerat, ex Tzetzae Homericorum Ms. Paris. fol. 14 in *Revue de philologie* vol. 2, p. 36: *Περὶ τῆς Λουκρητίας Δίων Κοκκειανὸς καὶ Διοδώρος ὁ Σικελὸς καὶ Πλούταρχος καὶ Διονύσιος ἱστοροῦσιν ὡς εὐγενῆς μὲν Ῥωμαία ἐτύγχανε, γυνὴ δὲ ἦν Κολλατίνου σωφρονεστάτη· ὁ δὲ Κολλατῖνος οὗτος υἱὸς ἦν Ἰγεερίου (sic). ἐν δὲ τῇ τῶν Ἀρδεατῶν πολιορκίᾳ συνδειπνοῦντες οἱ τοῦ ὑπερηφάνου Ταρκυνίου παῖδες, ὁ κατὰ Πλούταρχον Ἄρρων, Ἄρρῶντας δὲ κατὰ Δίωνα, καὶ Σέξτος αὐτοῦ ἀδελφὸς καὶ Βροῦτος, καὶ οὗτος Κολλατῖνος etc.*, quae ut aliunde cognita omisit editor huius fragmenti, et quod vol. 2, p. LXX supplevi, ab Ioanne Malala petitum, hoc est addendum quod habet Eustathius II. p. 1302, 11: *Οὕτω κατὰ τὴν Διοδώρου ἱστορίαν καὶ Σικελίαν ὁ στρατηγὸς τοῖς πρώτοις τῶν Σικελιωτῶν προσέθηκεν ἢ στρατεύειν μετ' αὐτοῦ εἰς Αἰβύην ἢ τοὺς ἵππους καὶ τοὺς οἰκέτας παραδοῦναι τοῖς μετ' αὐτοῦ.*

Quibuscum comparandus Livius 29, 1: „Scipio postquam in Siciliam venit, voluntarios milites ordinavit centuriavitque; ex iis trecentos iuvenes florentes aetate et virium robore inermes circa se habebat, ignorantes quem ad usum

neque centuriati neque armati servarentur. Tum ex totius Siciliae iuniorum numero principes genere et fortuna trecentos equites, qui secum in Africam traicerent legit, diemque iis qua equis armisque instructi atque ornati adessent edixit. Gravis ea militia, procul domo, terra marique multos labores, magna pericula, allatura videbatur: neque ipsos modo, sed parentes cognatosque eorum ea cura angebat. Ubi dies quae dicta erat advenit, arma equosque ostenderunt. Tum Scipio renunciari sibi dixit quosdam equites Siculorum tanquam gravem et duram horrere eam militiam. Si qui ita animati essent, malle eos se iam tum fateri quam postmodo querentes segnes atque inutiles milites reipublicae esse. Expromerent, quid sentirent, cum bona venia se auditorum. Ubi ex his unus ausus est dicere se prorsus, si sibi utrum velit liberum esset, nolle militare, tum Scipio ei, Quoniam igitur, adolescens quid sentires non dissimulasti, vicarium tibi expediam, cui tu arma equumque et cetera instrumenta militiae tradas et tecum hinc extemplo domum ducas, exerceas, docendum cures equo armisque. Laeto conditionem accipienti unum ex trecentis, quos inermes habebat, tradit. Ubi hoc modo exauctoratum equitem cum gratia imperatoris ceteri viderunt, se quisque excusare et vicarium accipere. Ita trecentis Siculis Romani equites substituti sine publica impensa. Docendorum atque exercendorum curam Siculi habuerunt, quia edictum imperatoris erat ipsum militaturum qui ita non fecisset. Egregiam hanc alam equitum evasisse ferunt, multisque proeliis rempublicam adiuvisse.“

Livium sequi videtur Valerius Maximus 7, 3, 3, sed non magis quam ille memorat quos Diodorus Eustathii τὸν οἰκέτας, ut pene suspiceris male positos pro τὰ ὄπλα aut τὸν ὀπλισμούς, quum Valerius quoque his speciosa arma et electos equos et arma et equos ponat, ut Livius. Ceterum Diodorus sua haud dubie debet Polybio. Pertinet autem fragmentum ad XXVII, 4.

Vol. 4, p. 302, 19 addendum:

- 2 Ὅτι ὑπὸ Γαλατῶν Πτολεμαῖος ὁ βασιλεὺς ἐσφάγη καὶ πᾶσα ἡ Μακεδονικὴ δύναμις κατεκόπη καὶ διεφθάρη.
[Exc. Hoeschel. p. 156 II. 495 W.]

Contra sunt quae adimenda videantur Diodoro, satis saepe culpabili, ut nihil opus sit aliena in eum peccata conferri. Qui enim 12, 40, 6, legitur locus mire confusos exhibens Aristophanis et Eupolidis versus, nisi inde a verbis ταῦτα δὲ ῥαδίως συνετέλεσε διὰ τὴν δεινότητα τοῦ λόγου, δι' ἣν αἰτίαν ὠνομάσθη Ὀλύμπιος, certe inde a proximis μὲνηται δὲ τούτων καὶ Ἀριστοφάνης usque ad τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροαμένοις, cuiusvis potius videtur quam Diodori, sed ei ita fere illatus ut Diogeni L. 2, 18, amplam ostendi illatam Vitae cuiusdam Euripideae particulam et alia aliis scriptoribus praef. ad Xenophontis Opuscula p. XIV ed. Oxon. Cum illo autem loco componendus locus Aristodemi qui dicitur nuper editi in Wescheri Πολιορκητικοῖς p. 364: Ἀλόντος τοῦ Φειδίου ἐπὶ νοσφισμῶ ἐύλαβηθεῖς ὁ Περικλῆς μὴ καὶ αὐτὸς εὐδύνας ἀπαιτηθῆ, βουλόμενος ἐκκλῖναι τὰς κρίσεις ἐπολιτεύσατο τὸν πόλεμον τοῦτον γράψας τὸ κατὰ Μεγαρέων ψήφισμα. διαπιστιοῦται δὲ ταῦτα καὶ ὁ τῆς ἀρχαίας κωμωδίας ποιητῆς λέγων οὕτως·

ὦ λιπερῆτες γεωργοί, τὰμὰ δὴ συνλετε
 ῥημάτια βούλοισθ' ἀκοῦσαι τήνδ' ὅπως ἀπώλετο,
 πρῶτον μὲν γὰρ ἤρξατ' αὐτῆς Φειδίας πράξας κακῶς·
 εἶτα Περικλέης φοβηθεῖς μὴ μετάσχοι τῆς τύχης,
 τὰς φύσεις ὑμῶν δεδοικῶς καὶ τὸν ἀνθάδη τρόπον,
 ἐμβάλων σπινθῆρα μικρὸν Μεγαρικοῦ ψηφίσματος
 ἐξεφύσησεν τοσοῦτον πόλεμον, ὥστ' ἐν τοῦ καπνοῦ
 πάντας Ἑλληνας δακρῦσαι, τοὺς τ' ἐκεῖ τοὺς τ' ἐνθάδε.

καὶ πάλιν ὑποβάς,

πόρνην εἰς μέθην λούσαν Μεγαρίδα
 νεανίαι κλέπτουσιν μεθυσοκότιαβοι·
 κ' ἄπειθ' οἱ Μεγαρεῖς ὀδύναίς πεφουσιγγωμένοι
 ἀντεξέκλεψαν Ἀσπασίας πόρνas δύο·
 ἐνθένδ' ὁ πόλεμος ἐμφανῶς κατερράγη
 Ἑλλησι πᾶσιν ἐκ τριῶν δεκαστριῶν.
 ἐνθένδε μέντοι Περικλέης Ὀλύμπιος
 ἤστραπτι', ἐβρόντα, συνεκύνε τὴν Ἑλλάδα,
 ἐτίθει νόμους ὥσπερ σκόλια γεγραμμένους,
 ὡς χρῆ Μεγαρέας μὴτ' ἐν ἀγορᾷ μὴτ' ἐν ἡπείρῳ μένειν.

Ubi praeter vitia multa, nisi quis quod primo versu etiam apud hunc, ut in libris Diodori, est Archilocheum *λιπερνήτες* verius putet eo quod est in libris Aristophanis *σοφώτατοι*, non minus mira apparet confusio duorum ex duobus petitorum Aristophanis fabulis locorum; tanquam ex eadem ductorum, quum illi qui post *ὑποβάς* sunt versus Acharnensium sint, non, ut priores, Paris. Quae quanquam quasi fatalis fuit iis qui hos Eupolidis et Aristophanis de Pericle locos memoriter usurparent, velut Ciceroni Ep. ad Atticum 12, 6, 2, Sophoclis Vitae scriptori sub finem, et qui Diodorum sequi videtur Arsenio Viol. p. 418, (a quo idem sumpsit locum Tragici Neoptolemi 16, 92, 3 citatum p. 371, et *Θνητῶν* exhibens versu ultimo Reiskii confirmat coniecturam *Θνατῶν* pro *Θανάτῳ*), Diodoro ipsi tamen etiam propterea non videtur posse imputari quod ille non magis quam Diogenes, ut de illo dixi, ubi fraudem commissam aperui, eorundem veterum certe Comicorum, ut recentiorum 12, 14, alibi utitur testimoniis, quos nunquam inspexisse videtur: etsi talia fieri potuit ut ab iis quos compilaret repeteret. Mirus autem Aristodemi consensus cum libris Diodori non solum in *λιπερνήτες*, de quo supra, sed etiam in omittendo versu in libris Aristophanis ante antepenultimum inserto

πρὶν παθεῖν τι δεινόν, αὐτὸς ἐξέφλεξε τὴν πόλιν,
quo omissio recte habet in sequenti *ἐξέφρυσεν*, alioqui *κάξεφύσησεν* scribendum cum Bentleio, quomodo sit explicandus, quum utriusque scriptoris fides perinde sit incerta, in medio relinquo. Ceterum conferenda cum his quae de illo Aristodemo et loco Diodori in eandem sententiam disputavit G. Dindorfius in Annal. Lips. a. 1868, p. 395—398.

Redigit autem in memoriam hoc tam amplum, si ex margine illatum, additamentum brevius, quod confidentius fortasse quam feci praef. ad vol. 4, p. XV, reicere debebam, libro 12, 29, 1: *Ἠλεῖοι δ' ἤγαγον ὀλυμπιάδα πέμπτην πρὸς ταῖς ὀγδοήκοντα, ἐν ᾗ ἐνέκα Κρίσων Ἰμεραῖος τὸ δεύτερον*, ubi totum illud *ἐν* — *δεύτερον*, tam propter *δεύτερον* pro *τρίτον* positum quam propter *ἐν ᾗ*, quod si quisquam, veterum certe nemo dixisse videtur, lectoris conieci esse supplementum, quum olympionicae nomen excidisset, ut 17, 82, 1, ubi inserui.

Codicis Patmii librorum undecimi usque ad sextum decimum, de quo dixi praefatione ad volumen tertium et multo plura mox alio sum loco dicturus, primus mentionem fecerat Villoisonus *Notices et Extraits* vol. 8, p. 30, ubi de bibliotheca Patmia eiusque catalogo dicit: „L'abbé Fourmont ne parle pas de la bibliothèque du monastère de l'île de Patmos, ni de celle du couvent d'Amorgos, que j'ai visitées. Dans toute la Grèce, je n'en ai vu aucune qui fût en si bon ordre que celle de Patmos. Les livres y sont rangés sur des tablettes, avec le titre mis sur le dos de la plupart. Le catalogue manuscrit de cette bibliothèque m'a paru assez exact, et indique les volumes τῆς πρώτης, τῆς δευτέρας θέσεως, de la première, de la seconde rangée, etc. Au-dessus des armoires, il y a des fragmens de manuscrits Grecs presque entièrement rongés par les vers. Les moines me dirent, en 1785, qu'avant la construction de cette nouvelle bibliothèque, qui est fort jolie, les livres avoient été placés dans un endroit très-humide, où ils pourrissoient (comme la Bibliothèque de Pétrarque à Venise). Plusieurs d'entre eux se rappeloient qu'il y avoit environ vingt-cinq ans qu'on avoit été obligé de jeter dans le four deux ou trois mille de ces volumes gâtés, et qu'on les avoit ainsi brûlés par respect, disoient-ils, pour l'Écriture sainte, de peur qu'elle ne fût profanée, ou ne trainât dans les rues. C'est un usage constant du Levant; et cette superstition engage les Turcs à enduire de chaux les marbres chargés d'anciennes inscriptions Grecques, dans la crainte que le nom de Dieu, qui pourroit s'y trouver, ne soit souillé. Un ancien supérieur du couvent, le père Grégoire Zéno, qui me combla d'honnêtetés, ainsi que son frère que j'avois beaucoup connu à Venise, me montra un de ces manuscrits qu'il avoit sauvé des flammes: c'étoit le Glossaire de Cyrille. Les plus anciens de ceux qui restent, ou du moins de ceux que le supérieur d'alors, Iosaphat Calogera (les abbés de Patmos changent tous les deux ans), eut la complaisance de me laisser examiner, sont des X.^e, XI.^e et XII.^e siècles, etc. La moitié en est rongée par les vers, et plusieurs tombent en morceaux. Ce ne sont, pour la plupart, que quelques évangiles, dont quelques-uns mériteroient l'attention de mon savant ami M. Griesbach;

des Chaines, *Σειραί*, ou Commentaires des Pères, des *Ἑξηγήσεις*, sur la Bible; des *Τροπάρια*, *Συναξάρια*, *Ψαλτικά*, livres d'offices de choeur ou de plain-chant, avec les notes de la musique d'église des Grecs, et propres à compléter l'ouvrage de Martin Gerbert *De cantu et musica sacra*; des Vies des saintes; des Conciles, des Recueils de canons, des Livres de lois ou de dévotion; des ouvrages des Pères Grecs; des Traités de théologie polémique contre l'église Latine, sur la procession du Saint-Esprit, sur le pain azyme, sur la lumière increée du mont Thabor; les auteurs Grecs de l'histoire ecclésiastique; des Lettres de patriarches de Constantinople; les Questions inédits de Photius *ad Amphiloichium*: peu d'auteurs profanes; des dialogues de Platon, une partie de Diodore de Sicile, écrite d'une main assez récente. "Vidit igitur primus hunc codicem Villoisonus manumque satis recenti scriptum iudicavit. — Ad ea autem quae dixi p. XVI de *τάχα γε* et *τάχα τε*, conferenda quae de altero habet Coraes *Ἀτακτων* vol. 1, p. 224, 1: „*Τάχα τε. Μὲ πλεονασμὸν τοῦ Τε συνδέσμου, ὡς τὸν ἐπλεόναξον καὶ οἱ παλαιοὶ εἰς τὸ Ὅσον τε, Οἶοί τε, Ὄστε, Ἐφ' ᾧ τε, Ἐπεὶ τε, εἰς ἡμᾶς σήμερον τὸ Τάχατε ἰσοδυναμεῖ μὲ τῶν παλαιῶν τὸ Ἀἴθεν* (commesi).“ Hodie Graeci dicunt etiam *Τάχατες*, quocum *οἴκαδες* confert Coraes. Qui in illis quae comparat relativis cum *τε* coniunctis non satis recte dixit abundare particulam, sua vi praeditam, ut in *καὶ τε* et aliis apud Epicos.

Etsi autem nunc neque locus est neque animus quae possint accedere emendationibus iam propositis addendi, quaedam tamen graviora vitia non alienum videtur notasse.

Nam ut 11, 65, 4, quod legitur: *Οἱ δὲ Μνηστῆρες χρόνον μὲν τίνα τοὺς πολιορκοῦντας εὐτόμως ἡμύνοντο, μετὰ δὲ ταῦτα λειπόμενοι τῷ πολέμῳ*, correxi alienum ab obsidentibus *πολέμῳ*, tanquam illatum pro *πόνῳ* ex sequenti *καὶ τῶν Λακεδαιμονίων μὴ δυναμένων βοηθῆσαι διὰ τοὺς ἰδίους πολέμους*, ita 11, 72, 2, *μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν εἰς πολέμους καὶ στάσεις ἐνέπεσον*, non aptum de turbis civilibus urbium Siciliae *πολέμους* ex praecedenti ibidem *τοὺς εἰωθότας πολέμους* illatum videtur pro *ταραχάς*, quod sequitur de iisdem 11, 76, 6, iam compositis: *Ἄ μὲν οὖν κατὰ*

τὴν Σικελίαν ἐν ταῖς πόλεσι στάσεις καὶ ταραχαὶ τοῦτον τὸν τρόπον κατελύθησαν· et de iisdem renascentibus 86, 3: Ἐνόσουν αἱ πόλεις καὶ πάλιν εἰς πολιτικὰς στάσεις καὶ ταραχὰς ἐπέπιπτον.

Deinde ib. 68, 2: Τὰς ναῦς καταστήσαντες οἱ Συρακοῖσιοι καὶ τὴν περὶ τὴν δύναμιν ἐκτάξαντες ἐτοίμους ἑαυτοὺς ἀπέδειξαν .. διαγωνίζεσθαι, scribendum videtur καταρτίσαντες, quod primum in καταρτίσαντες, ut in uno 2, 18, 3, tum in καταστήσαντες depravatum.

Porro quod 74, 5, est: Τοὺς Λακεδαιμονίους ἡξίου πόλεμον ἐξενεγκεῖν τοῖς Ἀθηναίοις, νομίζων οὕτω τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ νικῶντας ἀποπλεύσειν εἰς τὰς Ἀθήνας βοηθῶντας τῇ πατρίδι, Diodorum contendere ausim scripsisse ἀποσπάσειν, ut et Polybius saepius dixit et ipse 20, 82, 1: Σπένδων αὐτοὺς ἀποσπάσαι τῆς πρὸς ἐκεῖνον ἐπιπλοκῆς. Nam quae 16, 66, 4, ubi συμπλεύσεσθαι, 19, 58, 6, ubi ἀποπλευσεῖσθαι (scripsi ἀποπλεύσεσθαι), exempla sunt formae mediae, nemo negabit, etsi πλεύσειν habet Polybius 2, 12, 3, cum aliis nonnullis vel antiquioribus utroque, tamen, ut dixi iam praef. ad vol. 1, p. XIV, et hoc suspectum reddere activae exemplum et alterum quod est in loco etiam gravius depravato, 13, 54, 5: Τὰς μὲν οὖν ναῦς ἐν τῷ περὶ Μοτύην κόλπῳ πάσας ἐνεώληκσε, βουλόμενος ἔννοϊαν διδοῦναι τοῖς Συρακοσίοις ὡς οὐ παρέστιν ἐκείνοις πολεμήσαν οὐδὲ ναυτικῇ δυνάμει παραπλεύσων ἐπὶ Συρακούσας. Ubi primum non παρα-, sed περι-, quod etiam 14, 15, 2, in uno sic depravatum, videtur scripsisse qui scripsit 13, 61, 2: Διεδόθη δὲ καὶ φήμη τις κατὰ τὴν πόλιν ὅτι Συρακοῖσιοι μὲν πανδημεὶ μετὰ τῶν συμμάχων πορεύονται (legendum videtur παρασκευάζονται) τοῖς Ἱμεραίοις βοηθεῖν, Ἀννίβας δὲ μέλλοι (vel potius μέλλει, quod saepe sic depravatum notavi ad Xenophontem) τὰς ἐν Μοτύῃ τριήρεις πληροῦν τῶν κρατίστων ἀνδρῶν, καὶ περιπλεύσας ἐπὶ Συρακούσας ἔρημον τὴν πόλιν τῶν ἀμυνομένων (praestat ἀμυνομένων, ut Xenophontis II. Gr. 7, 5, 10: Ἐλαβεν ἂν τὴν πόλιν ὥσπερ νεοτιανὰ πάντ᾽ ἀσιν ἔρημον τῶν ἀμυνομένων, vel optimi ἀμυνομένων, et 18, 22, 4, δύναμιν οὐκ ἔχοντες τὴν ἀμυνομένην scribendum necessario fuit pro ἀμυνομένην) κατα-

λαβέσθαι. Deinde minime vana videtur suspicio correctoris hic commentum latere, qui quum scriptum inveniret *πολεμῆ-
σων, ναυτικῇ δυνάμει περιπλεύσας ἐπὶ Συρακούσας*, et lu-
turum substitueret et οὐδὲ interponeret.

Qui quod est in Comici anonymi 12, 14, 1 citatis ver-
sibus:

ὁ παισὶν αὐτοῦ μητροιὰν ἐπεισάγων
μήτ' εὐδοκιμείσθω μήτε μετεχέτω λόγου
παρὰ τοῖς πολίταις,

medium εὐδοκιμείσθω pro usitato veteribus activo ab Diodoro
illatum censuit Herwerdenus in *Analectis criticis* p. 35, recte
haud dubie iudicavit quum illud indignum putavit vel recen-
tissimo quicumque fuit Comico, sed Diodorus tantum absuisse
videtur ab illo ei inferendo ut ipsi potius et hic ab librariis
illatum fuerit pro εὐδοκιμείτω, (quod habet 2, 22, 3: *Τὸν
Τιθωνὸν εὐδοκιμείν παρὰ τῷ βασιλεῖ* 4, 65, 3, εὐδοκιμοῦν-
των 13, 94, 4, εὐδοκίμησε,) et 4, 24, 3: *Διόπερ τοῖς εὐδο-
κιμομένοις τὰς χάριτας ἀποδιδούς*, quod prorsus nihili est,
quum gratias reddi laudibus, non laudantibus dici perversum
sit, et haud dubie corrigendum εὐδοκονομένοις, quo verbo et
alibi Diodorus utitur, ut Polybius, et hic paullo ante dixerat
de Hercule: *Κατὰ τοὺς ἔμπροσθεν χρόνους οὐδεμίαν θυσίαν
προσδεχόμενος τότε πρῶτως συνευδόκησε*, et quod est 31, 24:
Μάρκος Πόρκιος Κάτων, τῶν εὐδοκιμομένων ἀνδρῶν, eclo-
garii potius videatur, ut alia quaedam novitii usus media, quae
notavi praef. vol. 4, p. VIII.

Inter ea autem, quae in singulorum formis vocabulorum
tanquam vitiosa iam notavi vel sustuli aut tollenda supersunt,
quaedam semel tantum iterumve a Diodoro usurpata etsi non
frequentibus, ut alia saepius ab eo dicta, convincere licet
rectarum formarum exemplis, tamen etiam sine eorum ope
alia refellunt indicia. Quo de genere est praeter semel illa-
tum *πολιορκηθήσθαι*, de quo ex codice corrigendo dixi
vol. 4, p. XVI, quod semel legitur 3, 29, 6: *Ὀδαξᾶσθαι φι-
λοτιμείται*, ubi Vindobonensis, qui *ὀδάξασθαι*, monstrat *ὀδά-
ξασθαι*. Tum quod item semel legitur 5, 17, 3: *Μάλιστα
δὲ τῶν ἀπάντων ὄντες φιλογύναιο προτιμῶσιν αὐτάς*, sed
Diodorum scripsisse *φιλογύναι*, ut Polybium 10, 19, 3,

συνειδότες φιλογύννην ὄντα τὸν Πόπλιον, coniectio ex eo quod et apud Polybium libri nonnulli φιλόγυνον et Suidas v. Πόπλιος supposuit φιλογύναιον, et Regum 3, 11, 1, φιλογύννης plures mutant codices in φιλογύναιος, quod ne Philoni quidem tribuendum videtur vol. 2, p. 301, 9: Καὶ οἱ φιλογυνναίοις συνουσίαις ἐπιμεμηνότες, ubi φιλογύναιοι Schleusnerus Lex. V. T., sed praestat fortasse φιλογύναι οἱ συνουσίαις ἐπιμεμηνότες, idemque videtur restituendum Platoni Conv. p. 191, D: Φιλογύναικές τ' εἰσι, sequente continuo γυναῖκες, nisi certiori haec forma quam uno unius loci tam ancipitis confirmata fuerit testimonio.

Bis me scripsisse ἐναντιώσεσθαι pro ἐναντιωθήσεσθαι dixi praef. vol. 1, p. XIV seq., nec quisquam hoc recte factum dubitabit, nisi qui etiam Dionysium A. R. 1, 59, vol. 1, p. 151, 11, ubi Vaticanus ἐναντιωθησομένου mutat in ἐναντιωσομένου, et 6, 62, vol. 2, p. 1181, 3, ubi ἐναντιωθήσεσθε in ἐναντιώσεσθε 3, 23, vol. 1, p. 481, 4, ubi omnes ἐναντιώσεται, ut 3, 72, p. 595, 2; 4, 10, vol. 2, p. 661, 13; 6, 38, p. 1127, 10; 48, p. 1148, 12; 65, p. 1189, 3; 69, p. 1197, 1; 75, p. 1211, 13; 85, p. 1236, 16 (ubi Vat. ἐναντιωθησόμεθα); 7, 50, vol. 3, p. 1424, 16; 8, 31, p. 1574, 9, sic, sed nihilominus 4, 51, vol. 2, p. 766, 13, semel scripsisse putet ἐναντιωθήσεται, quod hic est in ipso Vaticano, ut apud Galenum vol. 1, p. 220, 6 Lips. Quae sufficiunt, opinor, ad librorum Diodori consensum in hac forma non minus elevandum quam in aliis, ubi modo variant modo consentiunt, ut de πολιορκηθήσεσθαι dixi praef. vol. 4, p. XVI, etsi idem illud ἐναντιωθήσεσθαι est in epistola Antiochi regis ex lapide edita *Archives des missions scientifiques et littéraires, deux. ser. t. 3, livr. 3, 1867, pl. 3, v. 14*: Τὸν δὲ ἐναντιωθησόμενόν τισι τῶν προγεγραμμένων ἔνοχον εἶναι ἀσεβεία, quod utrum recte habeat an fallat ut quod continuo sequitur: Ἀναγραφῆναι τε καὶ τὰ ἀντίγραφα ἐν στήλῃ λιθίνῃ pro δὲ καὶ in medio relinquo. Sunt enim huiusmodi quos dixeris Macedonismi multo antiquioris saepe originis quam ut ab librariis codicum superstitem possint dici profecti, quantumvis scriptoribus meliorem sequentibus dialectum non sint tribuendi, ut quod ego neque Polybio neque Diodoro, cui semel in Exc. Vat. p. 39 (10,

32, 1) est illatum, ut Aristoteli et Straboni, quorum ipsae codicum varietates fraudem redarguunt, verbum *σιταρχέω* et substantivum *σιταρχία* pro iisdem per α scriptis, ut *πανδοχείον* et *πανδοχεύς* apud Polybium partim per α partim per χ scripta ipse exhibet Vaticanus, eadem forma *σιταρχία* his est in papyro Ptolemaeo et Cleopatrae regibus Aegypti oblata in Maii Class. Auct. vol. 5, p. 356, 14; 358, 28, sed in eadem 356, 11 et 12, activum *καταχαρίσαι* et *ἐπιχαρίσαντος*, quod ex Byzantinis tantum scriptoribus cognitum, et in alia p. 603 ult. *ἐλαμβάνοσαν*, et 604, 1, *ἀντιλήψαι* (et vol. 4, p. 445, 12, *ἀγαγήσαι*), ut quod ib. p. 354, 35, et 358, 32, est *διδώσαν* et *δοίησαν* neque Polybio neque Diodoro hanc optativi formam possit vindicare, quam ego non solum illis eximi praef. ad Polyb. vol. 1, p. LIII et p. XII, ad Diodor. vol. 1, p. XVI (ubi add. 4, 14, 39, 3, *καταπολεμηθεῖεν*), aut Atticis, ut Xenophonti, de quo dixi ad Comment. 1, 4, 19, p. 44 ed. Oxon., aliisque de quibus ad Stephanum v. *Ἀφίημι* p. 2662, B, sed ne Homero quidem vindicatam putabo, donec certiori confirmatam videro exemplo quam quod unum nunc est apud illum II. P, 733: *Ἄλλ' ὅτε δὴ δ' Αἴαντε μεταστρεφθέντε κατ' αὐτοὺς σταίησαν, τῶν δὲ τράπετο χρώς*. Nam facilis est correctio *σταίην, τῶν δ' αὐτε τράπετο χρώς*, nec magis codicum consensus multis antiquitus vitii inquinatorum tueri poterit quod non sit Homericæ aetatis quam prorsus barbarum *ξυμβλήσαι* pro *ξυμβλήσαι* in omnes illatum, quod correxi ad Stephanum v. *Βάλλω* p. 90, D. Cum illo autem Antiochino, sed nihilominus non Diodoreo *ἐναντιωθήσομαι*, conferre licet quam ut Macedonicam, non Diodoream notavi praef. ad vol. 4, p. XVI, terminationem imperativi *ωσαν* pro *ων*, saepissime etiam Atticis illatam, ut dixi praef. ad Xenophontis Hist. Gr. ed. Lips. tertiam p. XVIII, sed ut quae certissima eius videri possint exempla, eadem vel maxime fallant, ut Euripidis Ion. 1131: *Θύσας δὲ γενέταις θεοῖσιν, ἦν μακρὸν χρόνον μένω, παροῦσι δαῖτες ἔστωσαν φίλοις*, ubi nuper restitui quod etiam sententia poscit, *δαίτας ἔστια φίλοις*.

Duo his adiciam vocabula, in quibus Diodori codices non minus fortasse fallunt quam aliorum quorundam. Nam etsi libri illius constanter *Τρωγλοδύτης* et reliqua scribunt cum λ , ta-

men quam fallax sit eorum fides ostendunt libri Strabonis, qui etsi ceteris locis iisque multis conspirant in eadem scriptura, uno tamen loco optimus et saepe solam veram servans scripturam codex Vaticanus, 16, p. 768, bis exhibet formam *Τρωγοδυτική*. Atque Epitome libri 16, p. 574, 13 ed. Kramerii, *Τρωγοδυτών*, et 16: "Ὅτι Τρωγοδύται ἄνευ τοῦ λ λέγει ὁ Στράβων. Cuius disertis testimonii, quo constanter hanc illi formam esse restituendam evincitur, ignarus adhuc Letronnius, qui iam *Recherches sur le livre De mensura orbis terrae par Dicuil* p. 77 scripserat: „Trogloditis Arabia. J'écris Trogodytis et non Troglodytis, parce que c'est l'orthographe constante des manuscrits de Pline [cui constanter restituit Dettlesenus], Solin, Mela (Ciacconius ad Mel. 1, 8, 43), Isidore (passim; au lieu de Tragodytae (9, c. 21, p. 121 B), lisez Trogodytae), et qu'il ne me paraît pas prouvé que les géographes latins ne s'en soient jamais servis. On sait en effet que les Grecs disaient τρωξ, τρωγος (racine de Trogodytis), aussi bien que τρώγλη, racine de Troglodytis. (Salmas. Ex. Plin. p. 894, F. Vossius ad Melam 1, 4, 31.),“ idem *Recueil des Inscriptions gr. et lat.* vol. 2, p. 247 ad inscriptionem CXC, in qua ΣΩΘΕΙΣ ΕΚ ΤΡΩΓΙΣΤΥΤΩΝ, scribit: „S'il y a *Τρωγοδυτών* au lieu de *Τρωγλοδυτών*, comme la copie l'indique clairement, ce sera la première fois que cette orthographe se rencontre en grec; mais elle est autorisée par les manuscrits de Pline“ etc. Fortasse igitur haec scriptura Graecis non minus reddenda quam Latinis, etsi nullum eius vestigium in libris Diodori pariterque Herodoti et Aristotelis.

Κροκόδειλος etsi apud Diodorum constanter scribitur, ut apud Strabonem, nisi quod apud hunc semel unus 17, p. 811, *Κροκοδελλων* δὲ πόλις ἐκαλεῖτο πρότερον, mutat in *Κορκοδελλων*, tamen quum Dionis Cassii 55, 10, 8, codex Venetus idem praebeat pro altero, quod hic et alibi ponit Xiphilinus cum ceteris, et Levit. 11, 29, Alexandrinus *κορκόδειλος*, et Chronici Paschalis Vaticanus p. 156, D, *κορκοδελλους*, fieri potest ut etiam Diodori fallant codices, etsi sine ullo eorum indicio neutrius vocabuli sollicitanda est scriptura.

Sed multo plura sunt quae augendis confirmandisque iis, quae de superstitiosa quaevis librorum commenta ferendi

securitate dixi, possint addi, praesertim si etiam ea vellem persequi quae quantumvis non videantur falsa, tamen tanquam aliena a Diodori consuetudine sint corrigenda. Veluti quod est 20, 31, 1: Ἐπὶ δὲ τούτων Δημήτριος μὲν Ῥόδον πολιορκῶν ἐπὶ ταῖς κατὰ θάλατταν προσβολαῖς ἀποτυγχάνων, ἀπὸ τῆς γῆς διέγνω τὰς ἐπιθέσεις ποιεῖσθαι, tam constans apud Diodorum est constructio verbi ἀποτυγχάνειν solo cum dativo ut illum pro duplici participio hic quoque ἐπεὶ — ἀπετύγγανεν scripsisse, alterum infelicis esse correctoris inventum, quum ἐπεὶ esset in ἐπὶ mutatum, ne dubitandum quidem putem. Nam in omni hoc rerum genere non quaeritur an Diodoro non licuerit etiam aliter interdum loqui quam aliis sit locis loquutus, sed an reapse hoc fecisse credi possit testibus toties fallentibus, ut quo accuratius singula excutiuntur, eo magis eorum mala fides deprehendatur.

CORRIGENDA.

Etsi mihi non omnia quae aut a typhothetis sint peccata aut alioqui videantur corrigenda hoc loco licet conquisita ponere, praesertim quum de plerisque eorum explicatius sim dicturus in annotationibus, haec tamen quae sequuntur notanda putavi de plurimis quae suis locis emendanda supersunt.

Vol. I.

- p. 7, 32. κέρατα] πέρατα.
p. 35, 23. δωκαιδεκαμήνων] δωδεκαμήνων.
p. 47, 12. σταδίων] σταδίων χιλίων.
p. 71, 21. 4] 48.
p. 117, 13. τε] τε καί.
p. 205, 17. μή] μή μόνον.
p. 211, 29. γάρ] γάρ καί σχοῖνον.
p. 214, 23. μὲν] μὲν τήν.
p. 246, 3. ἡλαρότητας] μεθ' ἡλαρότητας.
p. 286, 18. 5] 8.
p. 298, 6. τῆ] ἐν τῆ. — 14. τῆς] ἐντὸς τῆς.
p. 316, 10. τον] τὸν Δία.
p. 319, 25. ἐν] αὐτὸν ἐν.
p. 320, 4. παρὰ] οἱ παρὰ.
p. 345, 10. οἷ] οἷς. — 32. ἰδίους] ἰδίους πόνοις.
p. 377, 30. [ὑπὸ τῆς νόσου].
p. 381, 4. τῶν] τῶν μὲν.
p. 435, 10. Κόρυνοι] Κόρυφα.
p. 439, 28. ὑπάρχειν] ὑπάρχει.

Vol. II.

- p. 31, 20. γίζοντος] γίζοντες.
 p. 35, 31. παρὰ,] , παρὰ.
 p. 86, 16. νηπίων] νηπίων παιδίων.
 p. 104, 14. τῷ] delendum.
 p. 105, 8. Delendum hic fragmentum, quod positum vol. 4, p. 284, 18.
 p. 115, 20. Add. 6.
 p. 120, 3. παθόντων.] Add. [Exc. Escor. p. 11, 12 Fed. 8 Müll.]
 p. 141, 10. δύναμιν] δόξαν.
 p. 193, 16. σύμπασα] σύμπασαι. — 21. τουτῶ] τούτων.
 p. 251, 25. μετὰ] μετὰ γὰρ.
 p. 279, 15. 76] 77.
 p. 305, 25. ἐπὶ τούτων] ἐπὶ δὲ τούτων.
 p. 352, 15. μεγάλοις] Add. καὶ διὰ στρατηγίαν δεδοκιμασμένοις ἐχρήσαντο.
 p. 356, 28. μὲν τῆς] τῆς μὲν.
 p. 358, 12. ἐν] ἐν τῇ.
 p. 363, 25. στρατηγούντες] στρατηγοῦντος.
 p. 374, 1. προσβολὰς] συνεχεῖς προσβολάς.
 p. 398, 15. τριακοσίων μὲν] μὲν τριακοσίων.
 p. 446, 13. μιᾷ] μιᾶ.
 p. 471, 26. ἐπέβαλεν] ἐπέλαβεν.
 p. 483, 16. ἐπεχείρησαν] ἐπεχείρησεν.
 p. 503, 9. προσέτι εἰπόντος] προσεπειπόντος.
 p. 504, 32. υσναρχόντων] συναρχόντων.

Vol. III.

- p. XXV, 14. 925] 92 s.

Vol. IV.

- p. XIII, 6. 12, et] 22, et. — 13. 6] b. — 17. παρασκεύασε] παρεσκεύασε. — 29. "Ἀσκελον] τὴν "Ἀσκελον.
 p. 314, 4. 9] 8.

p. 315, 20. Add. 4.

p. 323, 10. 6] 4.

p. 358, 31. 16] 2.

Vol. V.

p. 47, 7. Φευδ.] Ψευδ.

p. 100, 19. ἀποστασίας] προστασίας.

p. 103, 32. ἐπενηνέχθαι] εἰσενηνέχθαι.

p. 143, 1. Add. 4.

p. 163, 17. προσαπέλαβε] προσαπέβαλε.

p. 169, 17. συγγένειαν] συντέλειαν.

p. 171, 23. περιτροπῇ] ἀνατροπῇ.

ARGUMENTA LIBRORUM.

LIBRI XXXI.

(A fine belli Macedonici usque ad initia belli Punici tertii. Olymp. 153, 2—157, 2, sive a Chr. 167—151.)

- A. C. || 01. Cap. I. Antiochus Aegypti regnum affectat.
Cap. II. Popilii ad eum legatio (168). Conf. Polyb. XXIX, 11. Liv. XLV, 12.
167. || 153, 2. Cap. III. VI. Rhodiorum legatio supplex, et de rebus eorum in senatu deliberatio. Conf. Polyb. XXX, 4. Liv. XLV, 22 seqq. Cap. III fortasse pertinet ad orationem Catonis, de qua v. Gell. N. A. VIII, 3. Caput V fluxit ex Polyb. l. l.
- Cap. VII. Populorum legati victoriam Romanis gratulantes (Polyb. XXX, 10); inter hos Eumenis frater Attalus. Ex Polyb. XXXI, 9, 2. Conf. Liv. XLV, 19 seq.
- Cap. VIII. Res Macedoniae et Illyrici ab Aemilio ordinantur. Conf. Liv. XLV, 29. — Post seria etiam ludos et convivia instruere novit Aemilius. Conf. Liv. XLV, 32.
- Cap. IX. Aemilius triumphum agit. Conf. Liv. XLV, 39. Perseus in carcerem conicitur. Eius ignavia et mors.
- Cap. X. Demetrii Phalerei de Macedonum imperio vox fatidica. Ex Polyb. XXIX, 6 c.
- Cap. XI. P. Aemilii in plebis concione oratio. Conf. Liv. XLV, 41.
- Cap. XII. Eumenes post captum Perseum Gallorum bello premitur. Ex Polyb. XXIX, 6 d.
- Cap. XIII. Gallorum in captivos crudelitas.
- Cap. XIV. Eumenis in milites liberalitas.
- Cap. XV. Prusias gratulandi causa Romam venit. Humile eius et abiectum ingenium. Ex Polyb. XXX, 16. Conf. Liv. XLV, 44.

- A.I.C. || Ol. Cap. XV a. Dionysius Petosarapis Ptolemaei amicus plebem excitat.
166. || 153, 3. Cap. XVI. Antiochus magnificos ad Daphnen in Syria ludos instituit. Eius mores. Ex Polyb. XXXI, 3 seq.
Cap. XVII. Gracchum legatum Antiochus, dissimulata in Romanos ira, comiter excipit. Ex Polyb. XXXI, 5.
Cap. XVII a. Artaxias Armeniae rex ab Antiocho victus et subactus.
Cap. XVII b. Ptolemaeus seditionem in Thebaide Aegypti opprimit.
Cap. XVII c. Post caedem Timothei tumultus Alexandriae.
165. || 153, 4. Cap. XVIII. Ptolemaeus Philometor a minore fratre (Pt. Physcone) regno pulsus Romam venit.
164. || 154, 1. Cap. XIX. De Cappadociae regibus excursus, illo sine dubio loco institutus, quo de Ariarathe egit post regnum recens adeptum amicitiam cum Romanis renovante (164). Conf. Polyb. XXXI, 14. Liv. epit. lib. XLVI.
Cap. XIX a. Commagenes praefectus Ptolemaeus ab Ariarathe ex Melitene pulsus.
Cap. XX. Antipater fraude Timothei, Orophernis amici, perit.
Cap. XXI. Ariarathes Philopator regnum suscipit. Eius indoles.
Cap. XXII. Ariarathes Mithrobuzanem in paternum regnum restituit. Conf. Polyb. XXXI, 15 a.
162. || 154, 3. Cap. XXIII. Legationes a Ptolemaeis Romam missae. Conf. Polyb. XXXII, 1.
161. || 154, 4. Cap. XXIV. Catonis de luxuria Romanorum querelae (161, anno legis Fanniae sumptuariae).
Cap. XXV. XXVI. Aemilii mors et laus. Conf. Polyb. XXXII, 8 seq.
Cap. XXVII. Aemilii filius Scipio. Conf. Polyb. l. l.
Cap. XXVII a. Timarchus Milesius.
160. || 155, 1. Cap. XXVIII. Ariarathes donum mittit Romam; ipse scipione et sella eburnea a senatu donatur. Ex Polyb. XXXII, 2, 3 et 5, 1 seq.
Cap. XXIX. XXX. Legati Demetrii senatui tradunt Octavii caedis auctores. Ex Polyb. XXXII, 8 seq.
Cap. XXXI. Charops Epirota in cives saeviendo Romanorum amicitiam colit. Conf. Polyb. XXXII, 21 seq.

158. || 155, 3. Cap. XXXII. Orophernes Ariarathen regno pellit. Eius indoles. Conf. Polyb. XXXII, 20, 9.
Cap. XXXII a. Attalus eiusque insidiae Demetrio structae.
- A. C. || Ol. Cap. XXXII b. Orophernis legati ab Ariarathe occisi.
Cap. XXXIII. Ptolemaeus maior cum fratre pacem facit Cyrenen ei concedens. Conf. Liv. Epit. lib. XLVII.
Cap. XXXIV. Orophernes pecuniae indigens templum Iovis expilat.
157. || 155, 4. Cap. XXXV. Prusias Nicephorium ad Pergamum diripit. Conf. Polyb. XXXII, 25.
Cap. XXXVI. Rhodiorum prudentia in conciliando sibi principum favore. (Ex narratione de bello inter Rhodios et Cretenses gesto.)
156. || 155, 1. Cap. XXXVII. Aristocrates, praetor Rhodiorum, egregius imperator esse putabatur, quum re ipsa longe alium se exhiberet. Ex Polyb. XXXIII, 9.
Cap. XXXVIII. Rhodiorum naves Cretensium navigiis in summas angustias adiguntur.
153. || 156, 4. Cap. XXXIX. Segedenses in Celtiberia, foederi Semp. Gracchi adscripti, non parent mandatis senatus Romani. Unde novum in Hispania bellum nascitur. V. Appian. Hisp. 64.
Cap. XL. Igneum bellum adversus Celtiberos. Conf. Polyb. XXXV, 1.
Cap. XL a. Andriscus. Demetrius.
152. || 157, 1. Cap. XLI. Celtiberi post reportatam de Fulvio Nobiliore victoriam legatos mittunt ad M. Claudium Marcellum consullem. Conf. Appian. Hisp. 48 seq. Polyb. XXXV, 2.
Cap. XLII. Mummius sive Memmius propraetor in Lusitania clade afficitur. Conf. Appian. Hisp. 56.
Cap. XLIII. Prava Rhodiorum in bello contra Cretenses consilia. Ex Polyb. XXXIII, 15 a.
Cap. XLIV. Magnae Rhodiis sunt naves, desunt milites strenui.
Cap. XLV. Cretensium in bello contra Rhodios gesto adversus Siphnios perfidia.

FRAGMENTA LIBRI XXXII.

Ab Olymp. 157, 3 sive a. Chr. 150 usque ad finem belli Punici tertii, ut videtur (Ol. 158, 3, a. Chr. 146). Quamquam ex cap. XIII, 2, suspicari possis Carthaginis et Corinthi everisionem sequente demum libro esse narratam.

150. || 157,3. Cap. I—III. Carthaginenses bello Masinissae illato violatum cum Romanis foedus restituere student. Conf. Appian. Pun. 75. Cap. I et III ad eandem legationem spectant. Fortasse igitur iam in fine libri XXXI memorata atque hoc libro post prooemium, ex quo cap. II et V sumta videntur, repetita est.
- Cap. IV. V. De Romanorum in augendo et confirmando imperio arte et prudentia. Conf. Polyb. XXXIV, 1.
149. || 157,4. Cap. VI. Belli Punici tertii initium: Carthaginensium Romanis se dedentium legatio. Senatus mandata durissima. Conf. Polyb. XXXVI, 3.
- Cap. VII. Scipionis in fide servanda religio. Conf. Appian. Pun. 101.
- Cap. VIII. Eiusdem apud ipsos Poenos auctoritas. Conf. Appian. Pun. 104.
- Cap. IX. Mulierum Carthaginensium virtus quo tempore urbs obsidione premebatur probata. Conf. Appian. Pun. 93.
- Cap. IX a. Pseudophilippi post reportatam de Romanis victoriam saevitia. Catonis de Scipione iudicium et populi Romani erga eundem favor. Conf. Liv. Epit. lib. XLIX. Polyb. XXXVI, 6, 6.
- Cap. IX b. Pseudophilippus Telestis ducis perfidiam punit.
- Cap. IX c. Ptolemaeus Philometor Coelesyriam occupat.
- Cap. IX d. Alexander Abas fugit et caeditur.
- Cap. X—XII. Alexandri Balae fuga et caedes. Narratio de androgynis duobus occasione oraculi Alexandro dati.
- Cap. XIII. XIV. Carthaginis urbis descriptio.
- Cap. XV. Andriscus fictus Persei f.
- Cap. XVI. Masinissae in summa senectute vigor. Conf. Appian. Pun. 106.
- Cap. XVII. Scipio cum Phamea colloquitur. — Belli Punici anceps fortuna. (Vide quae de Phamea Poeno ad Romanos deque Bithya Numida ad Poenos transeuntibus inarrat Appian. Pun. 107 seqq.)
- Cap. XVIII. Calpurnii Pisonis mala fides ipsi perniciosa.
- Cap. XIX. XX. Prusias, civibus suis invisus, bellum gerit contra Nicomedem filium. Romanorum ad eum legatio. Ex Polyb. XXXVII, 1. Conf. Liv. Epit. lib. I.

- A. C. || 01. Cap. XXI. Nicomedes Prusia interfecto Bithyniae regnum capessit.
 146. || 158, 3. Cap. XXII. XXIII. Hasdrubalis humilis animus.
 Cap. XXIV. Carthagine flagrante Scipionis de Roma vaticinium.
 Cap. XXV. Scipio, capta Carthagine, Siculis inter alia taurum Phalaridis reddit.
 Cap. XXVI. Achaeorum infortunia ducum imprudentiae imputanda.
 Cap. XXVII. Corinthus eversa; a Caesare restituta.

FRAGMENTA LIBRI XXXIII.

- Ab Olymp. 158, 4, a. Chr. 145 usque ad Olymp. 161, 3, a. Chr. 134, quo anno „quum bellum Numantinum vitio ducum non sine pudore duraret, delatus est ultro Scipioni Africano a senatu populoque Romano consulatus. Bellum servile in Sicilia ortum, quum opprimi a praetoribus non potuisset, C. Fulvio consuli mandatum est.“ Liv. Epit. lib. LVI.
145. || 158, 4. Cap. I. Viriathi mores. Eius contra Romanos bellum (145—140) et vitae finis.
 Cap. II. C. Plautius praetor (148) in Hispania male rem gessit. (Diodorus altius rem repetit, ut Livius in Epit. lib. LII.)
 Cap. III. Alexander Bala Antiochiae praefecturam Diodoto et Hieraci tradiderat. (Ad continuandam Diodoti sive Tryphonis historiam dicta esse videntur.)
 Cap. IV. Demetrii in Antiochenses saevitia.
 Cap. IV a. Diodotus Tryphon.
 Cap. V. Aradiorum cum Marathenis rixae.
 Cap. V a. Moagetes.
 Cap. VI. Ptolemaeus Physco civibus saevitia in-
 visus.
144. || 159, 1. Cap. VII. VIII. Viriathi nuptiae, temperantia, facundia.
 Cap. IX. Demetrii Laodiceae morantis ignavia, luxuria et flagitia.
 Cap. X. Cnosiorum de principatu contentio.
 Cap. XI. Pergami in Creta clades.
 Cap. XII. Ptolemaeus Physco civibus odiosus.
143. || 159, 2. Cap. XIII. Ptolemaei in Cyrenenses perfidia.
 Cap. XIV. XV. Diegylidis Thracum reguli immanis crudelitas.
 Cap. XVI. Numantini et Termessii arma tradere pacti, subita poenitentia capti bellum continuant.
141. || 159, 4. Cap. XVII. Pompeius urbem Hispaniae Lagni (?)

- A. C. || Ol. diripiens socios Lusitanorum Numantinos ex urbe dimisit.
- Cap. XVIII. Arsaces Parthorum rex domi forisque optimus.
- Cap. XIX. Popilius consul cum Viriatho paciscitur. (Popilius consul fuit 139. Num scribae an Diodori error sit dubium).
- Cap. XX. Galaestes Athaman Ptolemaei Philometoris ex Cleopatra filium in regnum paternum reducere studet.
- Cap. XXI. Audax et Ditalces et Nicorontes Viriathum obtruncant.
140. || 160, 1. Cap. XXI a. Viriathi funus splendidissimum. Eius elogium.
- Cap. XXII. XXIII. Ptolemaeus corpore animoque terribissimus.
138. || 160, 3. Cap. XXIV. Contubris (?) urbis minae a consule Romano contentae. (Si de Centobriga urbe, a Metello consule 143 obsessa, cogitandum putas, temporum ordo in fragm. non servatus est. Igitur rem referre malim ad Iun. Brutum, de quo sequens fragm. agit. Is consul in Hispaniam missus est a. 138. Num forte urbs illa eadem quae Talabriga Appiani in *Hisp.* 73?)
- Cap. XXV. Iunii Bruti ad milites oratio.
137. || 160, 4. Cap. XXVI. Aemilii consulis ob saginam ignavia.
- Cap. XXVII. Diodotus Tryphon rex Syriae senatus benevolentiam frustra captat Scipionis in Aegyptum ad Ptolemaeum legatio (143? v. Cic. *Acad.* IV, 2. — Ad haec sua Müllerus *Fragm. Hist.* vol. 2, p. XX: „Quod tempora attinet, patet Diodorum statuuisse Antiochum a Diodoto sive Tryphone occisum esse quum Demetrius Nicator iam captus ab Arsace esset. Hausisse vero sua Diodorus putandus est ex Posidonio, ex Apamea urbe, sicuti Diodotus, oriundo. Hunc enim in Postpolybianis ducem sequitur, adeo ut cum vel in Sicula historia ad verbum fere exscripserit. Quanta vero in Syriis maxime rebus Posidonii auctoritas esse debeat liquet. Porro cum Diodoro reliqui scriptores faciunt omnes, exceptis libris Maccabaeorum, quibus insistens Clintonus *F. H.* III, p. 326 sqq. tempora Demetrii et Diodoti hunc in modum disposuit:
- A. Sel. A. C.
- 167 146 Nov. Demetrius regnum occupat.
Iuxta eum Antiochus et Trypho.

A. C. || Ol. A. Sel. A. C.

- | | | |
|-----|----------|---|
| 170 | 142 Feb. | Antiochus a Tryphone interfectus. (Macc. 1, 13, 31—41). |
| 170 | 142 | Demetrius Iudaeis libertatem concedit (id. ibid.). |
| 172 | 140 | Demetrii expeditio Parthica. (Macc. 1, 14, 1.) |
| 174 | 139 Nov. | Trypho interfectus (Macc. 1, 15.) |
| 175 | 138 Nov. | Demetrii captivitas. |

Annus quo captus sit Demetrius non tradit quidem auctor Maccab.; sed patet e reliquis numeris eum captum esse post interfectum Antiochum. Contra Iosephus A. I. 13, 5, 11; 6, 1; (*Δημήτριος*) ἐπολέμησε πρὸς τὸν Ἀρσάκην καὶ τὴν στρατιάν ἅπασαν ἀποβαλὼν αὐτὸς ζῶν ἐλήφθη . . . Τρύφων δ' ἐπειδὴ τὰ περὶ τὸν Δημήτριον ἔγνω τοιοῦτο λαβόντα τὸ τέλος, οὐκέτ' ἦν Ἀντιόχῳ βέβαιος, ἀλλ' ἐπεβούλευεν ὥστ' αὐτὸν ἀποκτείνειν τὴν βασιλείαν αὐτὸς κατασχεῖν. Idem 13, 7, 1: Μετ' οὐ πολὺ δὲ τῆς αἰχμαλωσίας τοῦ Δημητρίου τὸν Ἀλεξάνδρον υἱὸν Ἀντιόχου ἀπέκτεινεν. Justinus 36, 1: *Ad postremum tamen capitur (Demetrius), traductusque per ora civitatum, populis, qui desciverant, in ludibrium favoris ostenditur. Missus deinde in Hyrcantiam, benigne . . . habetur. Dum haec aguntur, interim in Syria Trypho qui se tutorem Antiocho, Demetrii privigno, substitui a populo laboraverat, occiso pupillo regnum Syriae invadit. Eodem modo Appianus Syr. 67, 68, de Tryphone agit post narratam expeditionem Demetrii Parthicam. Livius in Epit. 52 postquam res Syriae et deinde res Aegypti ad an. 146 pertinentes commemoraverat, denuo ad Syriam rediens, ideoque haud dubie res anni 145 afferens, dicit: Demetrius ab crudelitate, quam per tormenta in suos exercebat, a Diodoto quodam, uno ex subiectis, qui Alexandro filio BIMULO admodum regnum asserebat, bello superatus Seleuciam confugit. L. Mummius de Achaeis triumphavit (145 a. C.). Idem Epit. 55 in rebus anni 137 (Hostilio Mancino cons.): Alexandri filius, rex Syriae, DECEM ANNOS ADMODUM habens, a Diodoto qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est, corruptis medicis, qui eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant, occiderunt. In his Dukerus et Delrius verba bimulum admodum in puerum admodum mutari volunt, Clintonus vero al-*

A. C. || Ol. terum potius: *decem annos admodum*, corruptum esse putat, quoniam sec. libros Maccab. Antiochus iam an. 142 interfectus sit. Quasi Liviana exigenda essent ad narrationem Maccabaeorum. Deinde non attendentes quo loco haec Livius ponat, non viderunt optime omnia concinere. Nam qui *bimulus* erat anno 145, is *decem annos* natus erat anno 137 a. C. Eundem computum Diodori fuisse dubium non est, quum aliis locis comprobetur eodem usus esse fonte. Clintonis calculos vel series fragmentorum Diodori non admittit. Consentit etiam Eusebius p. 188, qui Demetrii expeditionem Parthicam assignat Ol. 160, 2. 139; deinde Ol. 160, 4. 137 in Canone annotat: *Tryphon quum se Syriae dominum fecisset, Antiochum Alexandri filium de medio sustulit. Tum et ipse ociter periiit.* Periisse vero debet eodem anno 137 vel initio anni 136, cui primum annum Antiochi Sideatae Eusebius assignat. Regno potitus Tryphon, ut senatus benevolentiam captaret, Victoriam auream populo Romano misit, teste Diodoro in Exc. Legat. p. 629. Hunc locum, cui praefigenda haec quae sunt cap. XXVII, in editione Parisina posui lib. 33, 17, extra ordinem chronologicum. Etenim sequitur in iisdem Excerptis fragmentum de celeberrima illa Scipionis ad Alexandrinos etc. legatione. Hanc vero Scipionem non obiisse post annum 143 a. C. Clintonus ceterique chronologi statuunt. Nam Cicero Acad. 2, 2, 5, *P. Africani historiae*, ait, *loquuntur in legatione illa nobili quam ANTE CENSURAM* (an. 142 a. C. Fasti Capitol.) *obiit, Panaetium unum omnino comitem fuisse.* Quod an recte se habeat quamquam in Epitome Diodori dubitavi, tamen sola fragmentorum Diodororum serie refelli non poterat, praesertim quum saepius Diodorus ordinem chronologicum relinquat, ideoque de Diodoti primis conatibus ad an. 145 loquens historiam eius universam persecutus esse potuerit. Nunc vero quovis pignore contendam Ciceroniana illa corrupta esse et pro *ante censuram* scribendum esse *ante consulatum* (134 a. C.) vel (quod Dübnerus proponit) *a censura*, adeo ut legatio incidat in annum 136 vel 135. Nam primum ipse Cicero de Republ. 6, 11 (2) ita habet: *Quum autem Carthaginem deleveris, triumphum egeris, censorque fueris et obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Graeciam, deligere iterum consul absens, bellumque maximum conficies, Numan-*

A. C. || Ol. *tiam excindes.* In his legatio inter censuram et consulatum ponitur media. Alterum argumentum peto ex Historiis Posidonii, qui Laelii discipulus uberrime legationem persecutus est libro *septimo* (v. Athenaeus 12, p. 549, D; Posid. fr. 11). Ita autem Posidonius in Historiis agit, ut singulis libris unius fere anni res pertractet, Iam vero quae e libro *quinto* afferuntur pertinent ad res anni 138, quo captus est Demetrius; et quae e libro *octavo* de Siculo servorum bello leguntur, referenda sunt ad annum 134. Igitur ex his colligitur legationem pertinere ad annum 136 vel, quod malim, ad an. 135. Eodem ducit series fragmentorum Diodori. Itaque Excerpta Legat. de Tryphone et de Scipione (33, c. 17 et 18) transponenda sunt ad finem libri 33 (cuius postremum fragmentum pertinet ad an. 137) vel ad initium libri 34, cuius primum fr. est anni 134.

FRAGMENTA LIBRORUM XXXIV et XXXV.

Ab Olymp. 161, 3, a. Chr. 134, usque ad finem belli Iugurthini (Olymp. 168, 3, a. Chr. 106), vel usque ad initium secundi belli servilis in Sicilia (Olymp. 169, 3, a. Chr. 102).

134. || 161, 3. Cap. 1. Antiochus Sidetes Hierosolyma obsidet et in fidem accipit. De Iudaeorum moribus et institutis.

Cap. II. Bellum servile (134—132) in Sicilia. Res altius repetitur inde ab a. 141. (60 a. post finem belli Punici secundi.)

Cap. III. Attali in cives saevientis crudelitas.

133. || 161, 4. Cap. IV. Captivorum (Numantinorum?) dum ex patria abducuntur, miseranda sors.

Cap. V. Tib. Gracchi genus.

Cap. VI. Plebs ab eo in magnam spem erecta, undique ad comitia confluit.

Cap. VII. Octavius quid in re Gracchana fecerit. Gracchus a Scipione interfectus.

Cap. VIII. Syrorum fugitivorum (i. e. servorum Sicularum) in captivos crudelitas.

Cap. IX. Fontis Arethusae pisces sacri. Conf. Diod. V, 3.

Cap. X. Legati Romanorum ad restituendam Iovis Aetnaei religionem Siciliam obeuntes. Conf. Cic. in Verrem IV, 49.

Cap. XI. Gorgus Morgantinus una cum filio a latronibus caesus.

- A. C. || Ol. Cap. XII. Zibelmii, Diegylidis filii, Thracum regis, saevitia.
 Cap. XIII. Attalo primo datum de tempore per quod regnum staturum sit oraculum (ad an. 133).
130. || 162, 3. Cap. XIV. Ptolemaeus Physco filii communis caede Cleopatram ultus.
 Cap. XV—XVII. Arsacis II cum Antiocho Pio bellum Antiochique caedes. Athenaeus, dux Antiochi, ignaviae dignum nactus vitae finem.
 Cap. XVIII. Arsacis devicto Antiocho infortunia.
 Cap. XIX. Arsacis responsum ad legatos Seleucensium.
127. || 163, 2. Cap. XX. Ptolemaei Physconis erga Marsyam clementia.
 Cap. XXI. Eumeri (Himeri) Hyrcanii, regis Parthorum satrapae, in Babylonios saevitia.
 Cap. XXII. Alexandri II Zabinae, Syriae regis, erga Laodicenses clementia.
124. || 164, 1. Cap. XXIII. C. Sextii Calvini erga Gallum Cratonem Romanorum amicum munificentia.
 Cap. XXIV. C. Gracchum e Sardinia reducem summus populi favor excipit.
 Cap. XXV. XXVI. C. Gracchi conciones et potentia, qua pro Octavio et contra Popilium Laenatem usus est.
 Cap. XXVII. Tib. Gracchi lex de Octavio. (Haec data occasione memorata.)
123. || 164, 2. Cap. XXVIII. Alexandri Zabinae sacrilegia et fuga, in qua capitur.
 Cap. XXVIII a. C. Gracchi furor et conspiratio cum coniuratis.
121. || 164, 4. Cap. XXIX. C. Gracchi caput plumbo repletum ad consulem refert Vitellius.
 Cap. XXX. (Fulvius) Flaccus interfectus iussu Opimii consulis. Conf. Appian. Civ. I, 26. — Scordisci, Thraciae populus, contra quem male pugnavit Cato Porcius consul. Conf. Liv. epit. lib. LXIII, Entrop. IV, 24.
112. || 167, 1. Cap. XXXI. Adherbal ab Iugurtha obsessus Romanorum opem implorat. Ab Iugurtha captus caeditur.
 Cap. XXXII. Iugurtha Romanorum fortitudinem admiratur.
111. || 167, 2. Cap. XXXIII. Scipionis Nasicae, qui consul mortuus est, elogium.
 Cap. XXXIV. Antiochus Cyzicenus, rex Syriae, homo stultus.

- A. C. || 01. Cap. XXXV. Micipsae filii. Inter hos Micipsa litterarum amantissimus.
 Cap. XXXV a. Alius Iugurtha Romam veniens caesus.
 Cap. XXXVI. Contoniatius, Galliae regulus, Romanorum amicitia potens.
109. || 167, 4. Cap. XXXVII. Carbonis et Silani a Cimbris accepta ingens clades.
108. || 168, 1. Cap. XXXVIII. Marius, legatus Metelli, virtute excellit.
106. || 168, 3. Cap. XXXIX. Bocchus Iugurtham Romanis tradit.
 Cap. XXXIX a. Ptolemaeus Seleucia amicorum unius insidias effugit.

FRAGMENTA LIBRI XXXVI.

- A bello servili secundo usque ad bellum Marsicum. Olymp. 169, 3—172, 1; a. Chr. 102—92.
102. || 169, 3. Cap. I. XI. Bellum servile in Sicilia alterum (102—99).
 Cap. XII. Saturnini ignavia et postea virtus.
 Cap. XIII. Battacis Magnae Matris sacerdotis, qui Romam Pessinunte venerat, praestigiae, et A. Pompeii subita mors.
 Cap. XIV. Mos quidam Romanorum.
 Cap. XV. Saturninus a Mithridatis legatis reus
101. || 169, 4. delatus favore populi absolutus.
99. || 170, 2. Cap. XVI. Metellus exul in patriam revocatur.

FRAGMENTA LIBRI XXXVII.

Bellum Marsicum. Olymp. 172, 2—173, 1; a. Chr. 91—88.

91. || 172, 2. Cap. I. Belli Marsici magnitudo. Ex prooemio.
 Cap. II. De caussis belli. Summa eius capita recensentur.
 Cap. III. De pernicioza Romanorum luxuria.
 Cap. IV—VIII. Proponuntur iustitiae et probitatis in administrandis provinciis exempla. Primum laudatur Q. Mucius Scaevola (cap. V et VI), qui praetor (a. 99) Asiam provinciam nactus virtute sua alios a pravissimis institutis revocare studuerat; deinde L. Asyllius (Asellius?) loco humili natus, qui quaestor in Siciliam missus vastatam provinciam praeclaris suis studiis in pristinum statum revocaverat.
 Cap. IV. Contra C. Gracchus, tyranni in modum quem se gereret, iure interfectus est (Haec cum antecedentibus cohaerebant).

- A. C. ¶ Ol. Cap. X. Drusorum nobilitas et virtutes. M. Livius Drusus iuvenis genere et indole clarus. Eius in senatu vox (91).
- Cap. XI. Italicorum Druso iurantium iusiurandum.
- Cap. XII. Picentinorum in theatro adversus Romanos histriones furor.
- Cap. XIII. Pompaedius cum armatorum turba Romam tendit. Domitii verbis motus a consilio desistit.
- Cap. XIV. Praeda (bello Marsico) militibus divisa.
- Cap. XV. Marius et Pompaedius exercitus suos ad concordiam revocant.
- Cap. XVI. Agamemnonis Cilicis opera Italicis navata contra Romanos.
- Cap. XVII. Quem h. l. Diodorus designet nescio. Ad Marium referri verba vix possunt.
- Cap. XVIII. Cretensis hominis cum Iulio consule colloquium.
- Cap. XIX. Aesernini servos urbe eiiciunt fame pressi.
- Cap. XIX, 3, 4. XX. Pinnenses pro Romanis extrema patiuntur.
- Cap. XXI. XXII. Italicorum et Romanorum summa utrinque contentio.
- Cap. XXII a. Sertorius bona publicata avertit et in omnes saevit. Unde invisus in convivio obtruncatur.
- Cap. XXII b. Mithridates prope captus a Cyzicenis.
- Cap. XXIII. Lamponii et Crassi singulare certamen.
- Cap. XXIV. Romanorum Italicorumque de frugibus pugnantium proelia.
- Cap. XXV. Sullae virtus.
- Cap. XXVI. XXVII. Mithridates victis Romanorum in Asia ducibus urbium studia ad se convertit.
- Cap. XXVIII. Rhodiorum cum Mithridate pugna navalis.
88. ¶ 173, 1. Cap. XXIX. XXX. Marius, ut dux contra Mithridatem crearetur cupiens, in campo Martio se exercet. Divitiarum cupiditatis ipsi, patriae et filio perniciose. (Haec dicta sunt, ubi sermo fuit de Mario, qui divitiarum siti et avaritia motus imperatoris contra Mithridatem munus expetivit. Qua occasione Diodorus Marii fata et Romae historiam

- A. C. || Ol. sequenti libro accuratius exponendam obiter percurrit. Ceterum num hic locus epiphonema libri 37, an prooemium libri 38 fuerit, non decerno. *)

FRAGMENTA LIBRORUM XXXVIII et XXXIX.

- Ab Olymp. 173, 2, a. Chr. 87, usque ad finem, puto, belli servilis, Olymp. 177, 2, a. Chr. 71.
87. || 173, 2. Cap. I. Legati Romanorum ad Cinnam missi.
Cap. II. Metellus exercitus imperium tradit Cinnae; Octavii pervicacia.
86. || 173, 3. Cap. IV. Cinnae et Marii scelera: in his Q. Lutatii Catuli caedes.
Cap. V. Portentum initio civilis inter Marium et Sullam belli.
Cap. VI. Sulla Mario superior.
Cap. VII. Sullae sacrilegia.
85. || 173, 4. Cap. VIII. Fimbriae flagitia.
83. || 174, 2. Cap. IX. X. Cn. Pompeii virtus a Sulla collaudata.
Cap. XI. Hadrianus ab Uticensibus vivus combustus.
Menas primus rex. Tnephachthus et LII successores. Cap. 45. Busiris et VIII ex posteris eius. Thebae tum exstructae describuntur: urbis divitiae, sepulcra; praesertim Osymandyaec monumentum. Cap. 45—49. Thebani astronomia nobiles. Cap. 50 init. Uchoreus, octavus a Busiride, Memphin condidit. Cap. 50 med. et 51 init. Moeris, post XII generationes secutus, lacum exstruxit. Cap. 51 med. et 52. Sesosis (Sesostris) post VII aetates successor, unaque educati sodales. Expeditiones susceptae, regno ante in XXXVI nomos diviso; Aethiopas domat, primus naves longas exstruit, totam Asiam subigit, inde in Europam transit. Positis in Thracia columnis in patriam redit. Cap. 53—55. Opera in Aegypto exstructa peregrinorum labore: aggeres ad Nilum, murus contra Syros et Arabes, navis aurea, obelisci, statuae. Cap. 56. 57. Eius in subiectos reges superbia. Mors voluntaria. Darius eum aemulatus. Cap. 58. Sesosis (Sesostris) filius. Cap. 59. Multis post seculis Amasis. Tum Aegyptus Actisani, Aethiopum regi, subiecta, qui narium amputatarum supplicium invenit, et Rhinocolura condidit. Cap. 60. Mendes s. Marus, Labyrinthi aedificator. Cap. 61. Post quinque generationum anarchiam Cetes regnat, s. Proteus, *belli Troiani tempore*. Remphis (Rhampsinitus). Cap. 62. Reges ignavi per VII generationes, in quibus solus Nileus clarus. Inde octavus, Chemmis, trium pyramidum maximam construxit, quae describitur. Cap. 63. Cephren pyramidum alteram posuit; Mycerinus, eius successor, tertiam. Cap. 64. Bocchoris. — Sabaco, genere Aethiops, pro poenis capitalibus vincula et labores reis imponit. Cap. 66. Anarchia per biennium; tum Dodecarchia. Regium Mausoleum XII principum. Ex his Psammetichus solus regnum occupat, assumpto ex Arabia, Caria, Ionia milite. Ob militis externi honorem CCM Aegyptii deficiunt, et novas quaerunt sedes. Peregrinis favet, praesertim Graecis, ut filios adeo Graecis disciplinis erudiret, Aegyptumque antea inaccessam, peregrinis aperiret. Cap. 67. Post quatuor generationes Apries, Cyprios, Phoenicesque bello adortus, tumultu civium periit. Hunc secutus Amasis. Qui cum LV annos

regnasset, eo ipso tempore vita sanctus, quo Cambyses, rex Persarum, Aegyptum bello subegit, Ol. LX an. 3. Cap. 68.

C) Instituta et mores Aegyptiorum. «Postquam regum Aegyptiorum res gestas inde ab antiquissimis temporibus usque ad Amasis mortem satis exposui, reliqua suis temporibus servabo; nunc autem de institutis Aegyptiorum ea, quae singularia sunt, lectuque utilia, brevissime persequar.» Memoratu digna haec esse arguunt sapientissimorum Graecorum in eam regionem facta itinera. Cap. 69—98.

1) Regum vita et officia. Cap. 70—72. E sacerdotibus lecti. Legibus erant adstricti, ex arbitrio nihil agebant. Singulorum officiorum horae constitutae; victus etiam legibus definitus. Cap. 70. Neque ira neque amore quidquam agere vel iudicare licebat. Cap. 71. Hinc summus regum amor *ibid.* luctus ob mortuum regem communis describitur; iudiciumque publicum de regum vita. Cap. 72.

2) Nomi et Nomarchae. Incolarum classes. Cap. 73. 74.

3) Iudiciorum ratio. Summum XXX virorum iudicium, VIII codices legum, praesidis insigne. Scriptis omnia agenda erant, oratores nulli admissi. Cap. 75. 76.

4) Leges Aegyptiorum recensentur insigniores. Cap. 77—80.

5) Literarum studia, vel sacra vel communia erant. Geometria, Arithmetica, Astrologia. Chaldaei Aegyptiorum alumni palaestram et Musicam abominantur. Cap. 81. Ars medica. Cap. 82.

6) Divinus bestiarum honor describitur. Iis alendis assignati agri et constituti curatores; vim iisdem illatam gravissime puniunt; mortuas luctu prosequuntur. Praecipue feles, accipitres, Apim, Mnevim, crocodilum, leonem cet. venerantur. Cap. 83. 84. De Apide singularis disputatio. Cap. 85. Religiosi bestiarum cultus causae redduntur. Cap. 86. 87. Hirci sacri, tanquam generationis symbolum, tauri, ob agriculturam; sed rufos immolare licet, quia Typhonis colorem referunt. Ob alias causas alia animalia sacra, lupi, crocodili. Cap. 88—90.

7) Funerum ritus. Sumtuum tres classes. Cadavera condiendi ratio. Cap. 91. Iudicium publicum de mortuis. Cap. 92.

Adiuncta observatione de eius instituti vi ad morum sanctitatem. Cap. 93.

8) Recensus legislatorum, quibus Aegyptii instituta tam salubria accepta referunt. Cap. 94. 95.

9) Docti peregrinatores Graecorum, qui Aegyptiorum leges, instituta et disciplinas in Aegypto perceptas in patriam transtulerunt. Similiter leges, artifices. Cap. 96 — 98.

II. Populorum Asiae historia.

E methodi formula historiae Aegypti singulae partes brevi repetitione enumerantur. Quo facto historicus ita pergit: «Hoc autem libro *res in Asia antiquissimis temporibus gestas* describemus, initium ab Assyriorum imperio facturi.»

1. Assyrit.

Ninus primus rex Assyriorum inter eos, quorum memoria servata. Is comparata iuvenum manu et inita cum Ariaeo rege Arabiae societate plurium populorum imperium appetit. Ac primo Babyloniae agrum, Armeniam ac Mediam subigit. Cap. 1. Tum vero Asiam totam intra Tanain et Nilum expugnare parat. Catalogus terrarum subactarum e Ctesia. Cap. 2. Iam ingentem urbem suo nomine appellatam ad Euphratem condit, cuius magnitudo describitur. Cap. 3. Qua re perfecta Bactrianis bellum infert. In hoc itinere Semiramidis notitiam et coniugium nactus. Hinc narratio de mirabili Semiramidis ortu, eius educatione apud Simmam, regium pastorem, et primis nuptiis cum Menone, consilii regii principe. Copiarum incredibilis numerus commemoratur ita ut facta populorum et regionum comparatione propior ad fidem accedat. Cap. 4. 5. Bactra cum diu obsiderentur, Onnes interea Semiramidem iubet in castra venire; eiusque audacia et consilio arx capta est. Rex ipse mulieris pulchritudinem et virtutem admiratus, coniugio sibi eam iungit. Cap. 6.

Semiramis marito mortuo regnum suscepit, et primo monumentum ei posuit. Deinde maximis operibus perficiendis animum applicuit. Babylon exstructa, eiusque urbis magnitudo, muri, pons Euphrati impositus, regiae duae, castella duo, turre describuntur. Cap. 7. 8. Fossa amplissima prope

urbem; portae aeneae. Beli templum, simul spectandis sideribus inserviens. Cap. 9. Horti pensiles. Cap. 10. Urbes aliae et emporia ad Euphratem et Tigrin ab ea condita. Cap. 11. Singularia naturae: Bituminis copia et exspiratio perniciosa. Cap. 12. Iter in Mediam, horti ad Bagistanum montem facti, et ad urbem Chauonem, via per montem Zarcaeum structa, opera Ecbatanis facta. Cap. 13. Iter continuatum per Persiam et reliquam Asiam, Aegyptum, Aethiopiam. Obiter de funerum ritu apud Aethiopes. Cap. 14. 15. Belli Indis illati historia. Cap. 16—19. Domum reversa filio regnum tradidit, oraculo Iovis Ammonis (conf. cap. 14) admonita. Ipsa evanuit, mox sub columbae imagine dea facta. Scriptores de ea comparantur. Cap. 20.

Ninyas et successores reliqui ad *Sardanapallum* usque vitam otiosam et libidinosam agunt. Ex his *Teutamus* tempore belli Troiani vixit. Cap. 21. 22. *Sardanapalli* ignavia et luxuria. Cives in eum bellum movent, quo victus rex se et regiam incendio absunit. Cap. 23—27. *Arbaces*, *Medus*, rex factus. Cap. 28. Narratio de *Chaldaeis*, *Babyloniorum* philosphis, eorumque disciplinis adiicitur. Cap. 29—31. «De Assyriorum imperio, quemadmodum ad *Medos* transierit, cum iam ante dictum sit, nunc eo quo digressi sumus redeamus.»

2. *Medi.*

Herodoti et *Ctesiae* dissensus observatur. Cap. 32. Simul regum successio usque ad *Artaeum*, qui bellum cum *Cadusiis* gessit. Cap. 33. *Artynes*. — *Astibaras*, sub quo bellum cum *Sacis* ortum est. *Sacorum* gens obiter descripta, mulierum fortitudine clara. *Zarina* tunc regina. — *Aspadas*, quem Graeci *Astyagen* nominant. Hunc *Cyrus* vicit; unde imperium ad *Persas* translatum.

3. *India.*

1) Regionis situs, magnitudo, proventus. Cap. 35—37. 2) Populi. Omnes sunt indigenae. Ad humanitatem et artes exculti per *Bacchum* et *Herculem*. Lex praecipua aequalitatis est. In septem ordines sunt divisi. Cap. 38—41. 3) Nonnulla de elephantis et advenarum tutela. Cap. 42.

4. *Scythae.*

1) Antiquissimae historiae particula. Prima et exigua sedes ad Araxen. Scythia, Palus, Napus gentem praecipue auferunt et ad fortitudinem instituerunt. Cap. 41. 2) Anarchia, et ex ea Gynaecocratia. Amazonum gens, earum mores, disciplina, bella. Hercules eas domuit. Ultima Amazonum Penthesilea, tempore belli Troiani. Cap. 42—46.

5. *Hyperborei.*

Eorum situs ex Heccataeo. Celtis obiecti erant. Latona ibi nata, eamque ob causam Apollinem praecipue venerantur. Graecis, praesertim Atheniensibus ac Deliis, favent. Imperium penes Boreadas, Boreae progeniem. Cap. 47.

6. *Arabes.*

Pauca de situ praemittuntur. 1) Nabataei sterilem terram incolunt et latrocinii vivunt. Petra insignis describitur, item lacus bitumen proferens, balsamum. Cap. 48. 2) Arabiae felicitatis memorabilia: stirpes frugiferae et odoriferae. Cap. 49. Aurum apyrum. Animalium genera nobiliora. Cap. 50. 51. Lapidis pretiosi cum disputatione de eorum generatione et proprietate aliarum rerum orienti subiectarum. Cap. 52. 53. 3) Arabes Scenitae. 4) Agricolae et mercatores, et quibus animalibus eorum regio praestat. Cap. 54.

7. *Insula incognita in mari meridionali.*

Supererant alii Asiae populi, ut Persae cet. quorum historiam alteri operis parti Diodorus servandam duxit. Sed ad mythicam partem pertinere videbatur Iambuli fabula de insulis beatis in Oceano meridionali sitis, ultimo loco adicienda. Is cum mercaturae et navigationi operam dedisset, primo ab Arabibus, deinde ab Aethiopibus captus, secundum ritus eorum inter devotos verso in meridiem cursu navi in fortunatam insulam delatus est. Peractis ibi septem annis dimissus difficili itinere rediit in Graeciam, et de hac insula rebusque Indicis multa ante incognita literis mandavit. Cap. 55—60.

III. Aethiopum, Afrorum, Amazonum, Atlanteorum, historia, libro III. comprehensa.

Superiorum librorum argumenta nova repetitione, quam-

vis turbato ordine, proponuntur. Tunc ad Aethiopes et reliquos Libyae populos progreditur historicus. Cap. 1.

Aethiopum historia.

1) Aethiopes Aegypto proximi, urbemque et insulam Meroën incolentes. Summae eorum antiquitatis argumenta: a) primi homines esse videntur, cum sint aborigines solique proximi. b) Primi deos coluerunt, eamque ob causam a quovis hoste externo tuti. Cap. 2. 3 init. c) Aegyptii fuerunt eorum colonia ab Osiride deducta. Eaedem leges, iidem ritus, idem scripturae genus. Cap. 3. 4. Legum singularium exempla. Cap. 5—7. 2) Gentes Aethiopum, ad utramque Nili partem accolentes, agrestiores sunt. Earum mores, arma, vestes, cibi, religio. Regio est amoenitate et fertilitate praestantior, de qua cum Afris pugnant. Cap. 8—10. Adicitur partim iudicium de scriptoribus rerum Aegyptiacarum et Aethiopicarum, cap. 11; partim notitia de auri fodinis, quae sunt in confiniis Aegypti et Aethiopiae, et descripta ratio discernendi et praeparandi auri. Cap. 12—14. 3) Gentes in Troglodytica et australes: a) Ichthyophagi. Cap. 15—20. b) Chelono-phagi et Cetophagi. Cap. 21. 22. c) Rhizophagi. Cap. 23. d) Hyllophagi et Spermatophagi. Cap. 24. e) Aethiopes venatores. Cap. 25—27. f) Aethiopes Simi et Struthophagi. Cap. 28. g) Acridophagi. Cap. 29. 30. h) Cynamologi. Cap. 31. i) Troglodytae Nomades et Megabari. Cap. 32. 33. Disputatio adiuncta de diversitate morum e diversitate aeris. Cap. 34. Historia animalium regionibus illis peculiarium. Cap. 35—37. 4) Sinus Arabici accolae cum descriptione regionis. Cap. 38—48.

Afri.

Quatuor Afrorum genera, quae Cyrenen, Syrtes et interiores terrae partes incolunt, recensentur haec: Nasamones, Aushisae, Marmaridae, Macae. Alii sunt agricolae, alii nomades, alii latrones, moribus diversi. Cap. 49. Agri proventus non ubivis iidem. Australes regiones desertae serpentibus abundant, maxime iis qui Cerastae vocantur; species eorum per aerem volantium mirabiles. Cap. 50. 51.

Amazones Aerae.

Multi opinati sunt nullas Amazones praeter eas, quae in Ponto ad Thermodontem fl. fuerunt, exstitisse; sed Aerae multo et clariores et antiquiores erant. Plura mulierum fortitudine et bellis illustrium genera, in quibus Gorgones memorabiles. Cap. 52. Amazonum regni vitaeque ratio, virorum servilis conditio. Cap. 53. Bella earum. Cap. 54. 55.

Atlantei.

Oceani-accolae; de diis eorumque ortu tradunt, quae cum Graecorum mythologumenis admodum conveniunt. Itaque haec ipsa exponuntur. Uranus primus rex fuit. Cap. 56. — Eius liberi XLV e pluribus uxoribus; e Titaea quidem XVIII, Titanes appellati. Filiarum nobilissimae Basilea et Rhea s. Pandora. Ex Basilea et fratre Hyperione nati Helius et Selene. Phrygum de eadem dea mythologumena, cui a monte Cybello Cybeles nomen impositum. Cymbala, tympana cet. invenit, et Marsya comite ad Apollinem venit. Utriusque certamina. Cap. 57—59. Urani filii, *Atlas et Saturnus*, regnum inter se dividunt. Atlanti regiones Oceano proximae obvenere, qui populos suos a nomine suo *Atlanteos* appellavit. Filius Hesperus, filiae Atlantides. Cap. 60. Saturni et ab eo oriundi Iovis brevis historia. Cap. 61. Haec itaque sunt, quae apud Atlanteos de diis traduntur.

Appendicis loco, quia hic locus aptus videbatur, Bacchi historia mythica, supra iam L. I, c. 23, commemorata, secundum Graecorum et Aeorum diversa commenta, et nunc ad horum potissimum fidem, adicitur. Cap. 62—74.

Posterior pars.

Historia mythica Graecorum.

Lib. IV et V. [VI].

A) Lib. IV de Heroibus et Semideis.

Exordio proponuntur 1) difficultates, quibus antiqua historia implicita sit a) ob antiquitatem per se obscuram, b) ob chronologiae et c) ob genealogiae confusionem, d) ob scripto-

rum discordiam. Eam ideo praeterierunt Ephorus, Callisthenes, Theopompus. Sed digna nihilominus, ob argumenti gravitatem, quae peculiari studio cognoscatur. 2) Libri IVti summa: aliarum gentium antiquitate explicata, Graecorum antiquissima historia adiungenda est. Haec autem a Bacchi fabula incipit, quia is ipse pervetustus est, et genus humanum maximis beneficiis affecit. Cap. 1.

Bacchi historia ex Graecorum fide.

Cadmus in Boeotia sedem fixerat et Thebas condiderat, sumta in matrimonium Harmonia. Inde cum aliis prognata Semele. Cum Semele concubuit Iuppiter divina specie se ei offerens; quo facto per abortum Bacchum peperit; ipsa igni absumta est. Bacchus a Mercurio Nymphis in antro Nysae traditur, inde Dionysus dictus. Vini et zythi inventor itinera usque in Indiam suscepit, ad excolendum genus humanum. Cap. 2. Redeunti sacra instituuntur, quorum ritus describuntur. Cap. 3. Bacchus antiquior commemoratur, Sabazius, Proserpinae filius. — Sed mox ad Semeles natum redit historicus. Forma, ingenium; comites Musae, Silenus paedagogus et socius; habitus, mores. Cap. 4. Cognomina, eorumque ratio; simul causae redditae, biformis cur sit, cur Satyri et Musae in eius comitatu. Cap. 5.

Priapus.

Bacchi et Veneris filius; mythica adumbratio generationis. — Origines cultus divini vel a propagatione generis humani, vel ab Osiridis historia (vit. lib. I, cap. 22) derivandae. Ithyphallus et Tychon sunt cognomina. — Hermaphroditi ortus ex Herme s. Mercurio et Venere. Cap. 6.

Musae.

Earum parentes et numerus; nomina nominumque ratio. Cap. 7.

Hercules.

Fabula de eo multa continet impedita, et quae fidem excedant. [Sed res mythicae non subtiliter explicandae. Cap. 8. Per ipsam portentosam procreationem immensae vires ei in-

fusae, simul per Iunonem, quae inscia puero mammas praebuerat. Cap. 9. Ab Hercule recens nato in ipsis cunis suscepta pericula, et perpetrata facinora, quibus Herculis nomen meruit, ante Alcaeus appellatus. Thebis educatus et in gymnasiis exercitatus, ab Ergini tributo et tyrannide urbem liberat, et Orchomeniorum Minyarumque oppidum evertit. Eurystheus autem per invidiam Herculi XII certamina imponit, Iovis et oraculi Delphici iussu suscipienda. Cap. 10. Primo ob id in animi aegritudinem et furorem incidit, tandem morbo liberatus adit labores, qui recensentur singuli: I) Leo in Nemea occisus. II) Hydra Lernaea. Cap. 11. III) Aper Erymanthius. Circa idem tempus Centauri devicti; caesorum nomina. Cap. 12. — IV) Capta cerva aureis cornibus, velocitate praestans. V) Aves e Stympthalide palude abactae. VI) Augiae stabulum expurgatum, Peneo fluvio eo deducto. VII) Taurus e Creta in Peloponnesum traductus. Cap. 13. — In cuius certaminis memoriam Hercules ludos Olympicos instituit. Ipsum in omni certaminum genere victorem dii deaeque muneribus honorant. Obiter observat historicus Nioben primam, Alcmenam vero postremam mortalem fuisse, ab Iove compressam. Cap. 14. Post haec Hercules, bello a gigantibus in deos moto, praestito diis auxilio, cum aliis belli sociis coelestium deorum honores consecutus est. — Prometheus, igne allato bene de humano genere meritum, poena liberat. Cap. 15 pr. VIII) Hinc Diomedis equas carnivoras abduxit; quo facto cum Iasone in Colchos navigavit. Cap. 15 med. IX) Expeditio in Amazonas ad rapiendam Hippolytae zonam. Amazonum, quae devictae sunt, nomina. Cap. 16. X) Iter parat in Iberiam ad abducendos Geryonis boves. Milites congregat in insula Creta, quam tunc bestiis purgavit. Prima inde navigatio in Libyam, ubi Antaeum in certamine occidit, terrasque et civitates a feris et tyrannis liberavit. Divertit in Aegyptum et Busiridem cecidit; in Libya Hecatompylon condidit, postea a Carthaginiensibus subactam, et ad fretum Gaditanum columnas statuit. Chrysaoris filii in certamine caesis, boves partim abegit, partim in Iberia dono reliquit. Adiecta columnarum Herculis fretique ipsius per eum mutati descriptio. Cap. 17. 18. Ex Iberia transit in Celticam, (Galliam) ubi urbem Alesiam condit;

inde per Alpes in Italiam. Cap. 19. Ligurum ager ingratus, duri labores describuntur. Cap. 20. Hercules ad Tiberim pervenit, in Palatio benigne receptus a Cacio (Potitio) et Pinario. Decimae Herculi votae, templumque exstructum. Ora maritima peragrata campum Cumaeum s. Phlegraeum ingressus proelio facto Gigantes internecone delet. Cap. 21. Opera ad lacum Avernum. Via Heraclea. Venatori in Dianam impio mors illata. Cicadae ob Herculis pietatem expulsae. Iter Herculis per fretum in Siciliam, apprehenso tauri cornu. Cap. 22. Thermae Himeraeae et Egestanae itinere fessum recreant. Eryx Herculem ad certamen provocat, proposito praemio. Hercules victor Siciliam praemium reportat, quam post unus e posteris, Dorieus, occupat, et Heracleam ibi exstruit, deinde a Carthaginensibus dirutam. Sicanos sibi infestos Hercules domat; ducum nomina memorantur. Cap. 23. — Leontini, praesertim Agrinaei, Herculi, ut deo coelesti, honores tribuunt, pro quibus ipse monumenta reliquit: lacum sui nominis, lucum Geryoni consecratum, sanum Iolao socio sacrum, gymniciis et equestribus ludis celebre. Tunc Hercules boves retro in Italiam agit, ubi Lacinium ob furtum caedit, Crotoni autem, per imprudentiam caeso, monumenta vovet. Tandem per Epirum redit in Peloponnesum. Cap. 24. XI) Cerberus ex inferis protractus. Ante vero Hercules mysteriis Eleusiniis initiandus erat. Eorum causa digressio de Orpheo. Cap. 25 et 26 princ. XII) Rapta Hesperidum aurea mala. Alii poma, alii oves interpretantur. Cap. 26 med. Per hanc occasionem Atlantis regio, Atlas, Hesperus, Atlantides, Hesperides describuntur. Has furto in Aegyptum abductas Hercules tum, cum Busiridem occidisset, interemtis raptoribus, Atlanti restituit. Maneris loco astrologiam ab Atlante accepit, ab ipso Graecis traditam. Cap. 27. — (Dum his occupatus erat Hercules, Amazones, ob illata per Herculem damna, praesertim ob raptam Antiopen vel Hippolyten, Graecis bellum intulerant, proelio victae per Theseum. Cap. 28.) — Oraculi iussu nunc natis ex Thespiadibus Sardinia in ditionem tradenda erat. Iolaus, fratris filius, expeditionis et coloniae dux erat. Per hanc occasionem Thespiadum historia et prognatorum ortus per Herculem narratur. Sardinia ab Iolao expugnata, ordinata, or-

nata. Colonia per eum in Sardinia condita, bello deinde ab aliis nunquam victa. Cap. 29. 30.

Iam de sobole sollicitus, uxorem Megaram Iolao concedit, et Iolen petit, Euryti filiam. Ob acceptam repulsam Euryti patris equas furto abigit. Iphitus, Euryti fil. raptorem persequitur, de turri ab eo praecipitatur. Expiationis causa Hercules in servitutem traditur Omphalae, Maeonum reginae, cuius regnum a Cercopibus aliisque latronibus liberat. Ita ipse libertatem et reginae coniugium consequitur. Cap. 31. Post in Peloponnesum redit, iniurias olim a Laomedonte, rege Ilii, illatas ulturus. Navibus Troiam petit, in proelio Laomedontem occidit, et regno potitur, quod Priamo tradit. Cap. 32. Rever- sus in Peloponnesum bellum contra Augeam movet ob recusatam mercedem. Re infecta Olenum ad Dexamenum abit, et in Hippolytae nuptiis Eurytionem, Centaurum, obruncat; hinc Tiryntem ad Eurystheum se recipit, sed insidiarum metu una cum matre in exsilium pulsus Pheneum in Arcadia fugit. Hic usus opportunitate impetum facit in Eurytum, Augeae filium, hunc et Augeam ipsum occidit, Elidem urbem et regnum Phyleo tradit. Tyndareum, Sparta expulsum, commissa pugna, in regnum restituit. In Arcadia eius furto compressa Auge, regis filia, ipse Stymphalum confugit; Auge abducitur mari submergenda, in via parit filium, in Parthenio monte relictum; servata ipsa Caribus dono permittitur. Infans a pastoribus educatus Telephi nomine, cum adolevisset, matrem apud Teuthrantem, Mysiae regem, reperit. Cap. 33.

Relicta Peloponneso, Hercules Calydonem, Aetoliae urbem, sedem facit, et Deianiram, Oenei filiam, matrimonio sibi iungit. Meleager, eius frater, tum exstinctus erat. Itaque per digressionem apri Calydonii ab eo confixi historiam et Meleagri interitum narrat. Ceterum Hercules de Calydoniorum agro bene meret, facto novo Acheloi alveo; unde orta fabula de Amaltheae cornu. Cap. 34. 35. In bello cum Thesprotis Hercules Calydoniorum socius; Ephyra capta, et rege Phyleo occiso, e regis filia captiva Tlepolemm suscipit. Mox ob Eury- nomum non consulto interemtum cum Deianira aufugit. Nessus Centaurus hanc per flumen Evenum portans, dum vitiare cupit, sagitta transfigitur. Philtrum ab eo Deianirae relictum.

Apud Ceycem, Trachiniae regem, commorantur. Cap. 36. Post oraculi Delphici vindex, Phylantem, Dryopum regem, occidit. Dryopes sedibus expellit. Obiter Herculis liberi recensentur. Dryopum novae sedes et res gestae. Suborto dein bello inter Dorienses et Lapithas, Hercules illis auxilio est, et hos sedibus eiicit. Cygnum certamine victum occidit. Ormenii regem, ob recusatam Astydamiā fil. bello subigit, et ex hac Ctesippum suscipit; Iolen etiam rapit, occisis fratribus. Cap. 37. De hoc amore certior facta Deianira, Herculis vestes philtro Centauri tingit. Secutus Hercules exitialis morbus. Eius rogo in Oeta. Cap. 38. Hercules consecratio. Cap. 39.

Argonautae.

Eorum socius erat Hercules; itaque proximus locus de his dicendi. (Conf. cap. 15 et 32.) — Iasonis consilium, exstructa navis, itineris socii. Cap. 40. 41. Memorabilia in itinere: ad oram Troadis Hesionen devotam Hercules liberat, et balaena interfecta eandem et regios equos praemii loco accipit; interea apud regem relictos. Cap. 42. Ob tempestatem Orpheus diis in Samothrace sacra et vota facit. Samothraces dii, Dioscuri. Inde progressi ulterius in Thraciam, duo regis Phinei filios, propter novercae criminationes crudeliter a patre habitos, ulciscuntur. Occiso Phineo, filiis regnum traditur. Alii rem aliter narrant; sed tenendum in veterum mythis non omnia congruere. Cap. 43. 44. Ex Thracia in Pontum transvecti appellunt ad Chersonesum Tauricam, ignari barbaris morem esse hospites immolandi Dianae Tauricae. Cap. 44 extr. Eius moris causa et origo explicatur. Simul res Colchicae describuntur. *Aetes* et *Perses* fratres erant, ille Colchidis, hic Tauricae rex. *Hecate*, Persae filia, fero et immani ingenio praedita, venena invenit, et inhumanum Dianae sacrum instituit. Nupta *Aetae* *Circen*, *Medeam* et *Aegialum* peperit. *Circe* matris artem colit; Sarmatarum regi in matrimonium data, marito sublato, regnum occupat. Ob crudelitatis facinora regno eiecta Italiam petit. Cap. 45. *Medea*, mitioris ingenii, peregrinorum servatrix. Hanc profugam in litore offendunt Argonautae in Colchidem appulsi. Iason, data coniugii fide, *Medeam* consiliorum et expeditionis sociam habet. Tum

vellus aureum noctu invadunt. Cap. 46. Inscritur fabula de Phrixo, aureo vellere apud Colchos in templo Martis consecrato, eiusque custodibus, dracone cet. Cap. 47. Duce Medea Argonautae, caesis custodibus, vellere aureo rapto, ad naves confugiunt. Aectes, collecta manu eos persecutus, in pugna perit. Tunc navibus conscensis reditum parant. Glaucus itineris comes et adiutor. Cap. 48. Superato Hellesponto attingunt Troadem. Ob Hesionen et equos recusatos commissa pugna. Laomedon pugna cadit; regnum Priamo traditur. In Samothrace diis Samothracibus vota reddita. (Conf. supra cap. 43. 48.) Cap. 49. — Interea Pelias, peremta Iasonis stirpe, regnum occupaverat. Itaque Iason reversus in Thessaliam funera suorum ulcisci parat. Cum omnia sint impedita, Medea regem dolo interimere et regiam prodere promittit. Cap. 50. Scilicet assumpta sagae persona Medea urbem et regiam ingreditur, magica ministeria senectae transformandae in juvenilem vigorem offert et approbat. Caede Peliae per fraudem peracta, datoque signo, Iason cum sociis regiam recuperant. Cap. 51. 52. — In superstitem regis familiam benignus; Acasto filio regnum tradit, filias matrimonio iungit viris principibus. His peractis, Hercule auctore, Argonautae foedus et societatem in futuros casus iungunt, ludosque celebrant Iovi sacros Olympio. Cap. 53. (Sed conf. cap. 14 de antiquiore ludorum Olympicorum origine.)

Sequitur Iasonis reliqua vita. Is, repudiata Medea, postea cum Glauce coniugium iniit. Medea, furore incensa, igne et caede grassatur, Herculem contra Iasonem advocat vindicem. Iason mortem sibi conscivit. Thessalus, superstes Iasonis filius, in regno Peliae succedit, et ditionis suae populum Thessalos vocat. De Medae ultimis factis, fatiis atque erroribus. Eius filius primus Medorum rex. Cap. 54 — 56 princ. — Argonautarum reditus per aliam viam, a Timaeo commemoratus, adverso Tanai et per aliud flumen in Oceanum, inde vero iuxta Gades in mare mediterraneum, eiusque rei opinata vestigia, ultimo loco describantur. Cap. 56.

Herachidae.

Herculis liberi Trachine apud Ceycem regem educati. Eu-

rystheus, de regno metuens, eos bello persequitur, victus tandem Atheniensium ope. Cap. 57. Iam Heraclidae, duce Hyllo, in Peloponnesum et Mycenarum regnum agmen movent; sed caeso Hyllo in certamine, quos res est diremta, Heraclidae ad L annos regno et Peloponneso sunt exclusi. Cap. 58.

Theseus.

Herculis imitator erat. Eius genus et prima certamina describuntur. His praeclare peractis Athenas venit, et ab Aegeo certis signis agnoscitur. Cap. 59. Fabula de Minotauro, quem Theseus interemit. Regum Cretensium recensens; utque ex his Minos, ob Androgeum filium in Attica interfectum, Athenienses bello et fame presserit. Iussu oraculi Athenienses Minoi obtemperant, poenam VII puerorum puellarumque exigenti. Theseus, Ariadnae ope adiutus, Minotauro confecto, patriam iniquo tributo liberat. In reditu Ariadnae Bacchus in insula Naxo rapit. Quo dolore perturbatus Theseus velis nigris candida substituere obliviscitur; quibus conspectis Aegeus, Thesei pater, ex alto se praecipitat. Theseus in regno successit, sub quo res Attica melius ordinata incrementa cepit. Cap. 60. 61. Eius uxor Phaedra Hippolytum privignum amat. Utriusque interitus. Theseus per seditionem exsul. Cap. 62.

Adiecta narratio de Helenae et Proserpinae raptu per Theseum et Pirithoum. Cap. 63.

Septem ad Thebas.

«De his cum satis dictum sit, res gestas Septem ad Thebas persequamur, exorsi a prima belli causa.» Laius, Thebarum rex, et Iocasta de sobole oraculum adeunt, quod funesta nuntiat. Oedipus inde prognatus idcirco exponitur; postea inscius patrem occidit. — Sphinx. — Iocasta coniugium et regnum promittit, si quis eius aenigma solverit. Oedipus solvit, et matrem inscius accipit uxorem, ex eaque procreat Eteoclem et Polynicem, Antigonom et Ismenem. Cap. 64. Re deinde comperta, Eteocles et Polynices patrem clausum tenent, et regnum occupant. Mox Polynices, a fratre pulsus, Argos ad Adrastum fugit, et auxilium petit. Adrastus et Polynices

cum Tydeo et quatuor aliis sociis Thebis bellum inferunt. Eteocles et Polynices mutuis vulneribus pereunt; similiter reliqui occubuere praeter unum Adrastum. Cap. 65.

Epigoni, i. e. occisorum ducum filii, duce Alcmaeone bellum in Thebanos renovant. Thebani, victi urbeque expulsi, suasu Tiresiae Thebani, Tilphossaeum in Boeotia migrant; Epigoni Thebas, et in hac Tiresiae filiam Daphnen, Sibyllam cognominatam, capiunt. Thebani Dorienses invadunt, et varias populorum migrationes movent. Cap. 66. 67.

Doriensium, Aeolum, Boeotiorum origines et migrationes explicantur. Cap. 67.

Aeoli progenies Salmoneus et Tyro; quorum genealogia usque ad Nestora et bellum Troianum producta adicitur. Cap. 68.

Lapithae et Centauri.

Lapitharum genus. Alter filiorum Lapithae erat Periphas, qui octo liberos habuit. Ex his primus Antion procreavit Ixionem, Iunonis amore captum. Pro Iunone Iuppiter nubem ei subiecit, unde nati Centauri. Cap. 69. Centaurorum bellum adversus Lapithas, horumque reliquiae. Cap. 70.

Aesculapius.

Eius parentes Apollo et Coronis; merita de vita hominum, et Plutonis de eius arte querelae. Filii Machaon et Podalirius vulneratos ex Graecis ad Troiam curabant. Cap. 71.

Penci et Asopi genus.

Filii filiaeque recensentur, quibus multae atque celebres civitates atque populi origines debent; horumque posteri usque ad aevum Troianum. Cap. 72.

Pelops, Tantalus, Oenomaus.

Oenomaus, oraculo admonitus, ad avertendas Hippodamiae filiae nuptias, procis certamina proposuit cum vitae periculo. Pelops, Myrtili auxilio adiutus, victoriam eiusque praemium Hippodamiam reportavit. Ab eo Peloponnesus nomen habet. Cap. 73. Pelopis pater Tantalus, Paphlagoniae

rex, ob opes in ipsos deos superbus, regno pulsus, et apud inferos cruciatibus affectus. Niobe, eius filia, liberorum numero superbiens, orbitate punita. Cap. 74. Tantalum regno expulerat Ilus, Trois filius. Quocirca eius stirps a Teucro inde repetita et usque ad Priamum, Anchisem, et Aeneam deducta inseritur. Cap. 75.

Daedalus.

Atheniensis erat. Ingenium eius et sollertia, quo omnes vicit artifices. Talam, ex sorore nepotem, artis et ministrum et aemulum habuit, novis inventis clarum. Hunc Daedalus, invidia commotus, dolo interemit, Capitis damnatus in fugam se dat. Cap. 76. Cretam deinde insulam petit, et Minois regis amicitiam sibi conciliat. Hic construxit bovis machinam ad explendam Pasiphaae libidinem; unde ortus Minotaurus: deinde Labyrinthum. Post ob Minois iram in se motam cum Icaro in Siciliam aufugit. Ab hoc et mare Icarium et insula Icaria nomen habet. Mox conficta fabula de alis e cera factis. Cap. 77. Daedali reliqua opera in Sicilia facta. Cap. 78. Minos, ob receptum Daedalum iratus, Siculis bellum infert. Daedali mors et monumentum sepulcrum. Cretenses in Sicilia relictii, post Minois mortem sedem ibi constituunt, urbemque Minoam et Engyum condunt; mox templum deabus Matribus exstruunt, magnitudine et sanctitate clarum. Lapides maximis sumtibus advecti. Cap. 79. 80.

Aristaeus.

Ex Apolline et Cyrene in Libya natus Nymphis traditur, a quibus apium, olivarum, lactis cet. culturam didicit; quibus inventis aequae ac Bacchus optime de genere humano meruit. Eius ex Autoñoë, Cadmi filia, filius Actaeon a canibus lacertatus. Cap. 81. Migrat deinde Aristaeus in Ceam insulam; Graeciam universam pestilentia liberat. Hic relicta sobole, ipse Sardiniam et Siciliam petit; ob quas insulas suis inventis excultas divinos honores consequitur. Cap. 82.

Daphnis et Eryx.

Eryx, Veneris et Butae filius, Siciliae regulus, urbem sui nominis, et in eius arce templum Veneris Erycinae exstruxit,

sanctitate clarissimum, ab Aenea, Siculis, Carthaginiensibus, Romanis, maximis auctibus ampliatur. Cap. 83.

Daphnis, Mercurio et Nympha genitus, rei pastoritiae, ad quam regionis amoenitas invitabat, studiosus, fistulae pastoritiae et carminis pastoritii inventor existit. Montium Heraeorum et circumiacentium camporum, in quibus natus est et vixit, descriptio inseritur. Cap. 84.

Orion.

Corporis magnitudine et robore eminebat, et venationem sectatus est. Cum alia opera perfecit, quae magni roboris essent, tum praesertim regis Sicularum, Zancle, a quo Zancle sive Messana nomen habet, iussu portum Acte appellatum. Messanae mentione facta historicus digreditur in disputationem, an Sicilia olim chersonesus fuerit? Hesiodus negat, qui promontorium Pelorium, et in eo templum Neptuni, Orionis operibus adnumerat. Orion inter astra relatus. Cap. 85.

B) Lib. V. qui insularis appellatur sive de insulis.

Huius libri prooemium in argumento communi, non proprio versatur; ordinis et oeconomiae, ut in aliis rebus, ita praesertim in tradenda historia, rationem habendam esse. Qua laude cum imprimis Ephorus praestitisset, Diodorus ait eius se exemplum secutum, res historicas *secundum species* proponere instituisse. Hunc librum itaque antiquissimam historiam *insularum* continere, singulatim recensendarum. Incipiendum autem esse merito a Sicilia, quae magnitudine et antiquitate prima esse videretur. Cap. 1. Ceterum hoc libro, praeter Graeca, multa alia contineri non mirandum est. Nam ex cap. 24 princ. patet, eodem simul suppleri, quae prioribus libris sint praetermissa. Unde Graecorum antiquissimae historiae, quam solam Diodorus promiserat, gentium aliarum Europae descriptio adiungenda erat.

Sicilia.

De insulae nominibus, magnitudine, pauca praefatur. A figura Trinacriam, a Sicanis, primis cultoribus Sicaniam, a colonis Siculis, Siciliam esse appellatam. Cereri et Proserpi-

nae merito insulam earam et sacram fuisse, in qua primae fruges provenissent. Cap. 2. Hac oblata occasione in mythum de Cerere et Proserpina excurrit, obiter descriptis regionibus amoenissimis, Enna, Himera, quae deabus iucundissimam praebuissent sedem. Cap. 3. 4. 5. Tum de incolarum ortu pauca disputat, et historicorum diversas sententias comparat. Ipse Sicanos indigenas esse pronuntiat; post multa secula ex Italia Siculos immigrasse; denique Graecos misisse novas colonias, quae vitam cultiorem et linguam Graecam vulgarunt. Cap. 6.

Aeolides.

Earum nomina et situs. Sunt septem: Strongyle, Euonymos, Didyme, Phoenicusa, Ericusa, Vulcania (Hiera, *Ἱερά* *Ἡφαίστου*), Lipara. Omnes flammis expirant. Primo a Liparo, deinde ab Aeolo cultae; unde ab utroque nomen habent, Aeoli humanitas celebratur, Ulyssis testimonio confirmata, porro rei nauticae studium. Cap. 7. — Aeoli sex filiorum nomina et regna in Italia et Sicilia. Cap. 8. Novi insularum coloni insequentium temporum, Cnidii, Rhodii. Cap. 9. — Liparaeorum civitas reliquis florentior ob portus opportuniore, thermarum salubritatem, aluminis copiam cet. Cap. 10.

Ostcodes.

Inculata insula, *ossium insula* appellata a singulari eventu, cuius narrationem cap. 11 continet.

Insulae australes.

Tres insulae a meridionali Siciliae sitae, Melite, Gaulus, Cercina s. Coreyra, quam brevissime commemorantur. Cap. 12.

In mari-Tyrrheno sitae insulae.


Primo mentio fit Aethaliae. Ferri illa ferax et mercatura celebris. Sequitur Cynos, Romanis Corsica appellata, cuius urbes, proventus, incolarum ingenia et numerus declarantur. Cap. 13. 14. Proxima est Sardinia. In eam colonia ab Iolao deducta; inde incolae Iolaei appellati. Populum eiusque libertatem ab externo hoste natura ipsa defendit. Cap. 15. — Pitusa a pinuum ibi nascentium copia appellata. Cap. 16.

Iberiae obiacentes insulae sunt Gymnesiae s. Baleares; situs, soli natura, incolarum mores. Cap. 17. 18.

Insulae in Oceano s. extra columnas Herculis.

Insignis magnitudinis *insula*, e regione Africae in Oceano sita, plurium dierum spatio a Libya dissita, in hac descriptione primum occupat locum. Eius insulae summa fertilitas et amoenitas celebratur, nomen desideratur; unde colligendum eam fama potius et sermonibus quam scriptis idoneisque monumentis, cognitam esse. (Americae vel Indiae occidentalis obscurior notitia, e Carthaginiensium navigationibus dilapsa, in huius insulae anonymae et incognitae descriptione latere videtur.) Inde *Carthaginiensium* in Africae ora et occidentalis Europae partibus constitutae *coloniae*, urbs in Europae peninsula *Gades* condita, et hinc in Oceanum susceptae navigationes expressis verbis commemorantur. Cap. 19. 20.

Iam in alteram Oceani partem, quae Europam cingit, progressus insules et adiacentium terrarum oras persequitur. Una est *Britannia*, cuius insulae formam, promontoria, populorum mores, stanni mercaturam paucis describit. Cap. 21. 22. — Scythiam versus sita est insula *Basilica*, in quam mare succinum prolicet, mythis etiam celebratum. Cap. 23. Inde in proximas Europae oras exspatiatur, gentes vicinas lustraturus. Primo *Celticam* adit. Cap. 24—32. Mythica narratio de Galate, Herculis filia, a qua Galatia i. e. Gallia et Galli nomen habere dicantur. Cap. 24. Populi plures, omnes numerosi; praecipui fluvii. Cap. 25. Venti vehementiores, frigus ingens. Zytho itaque pro vino utuntur, vinoque, quod tamen aliunde advehitur. Cap. 26. Argenti nihil, auri magnam copiam terra profert. Inde compositus ornatus. Cap. 27. Incolarum corporis cultus, mores. Cap. 28. E curribus pugnandi mos, bellandi ratio, spoliolum praecipuae species. Cap. 29. Vestitus, arma. Cap. 30. Adspectus voxque horrida, ingenia. Bardi et Druidae. Vates. Divinatio ex occisis. Poëtarum in pugnibus etiam usus. Cap. 31. Celtae et Galatae diversi, a Romanis confusi. Mulieres feroces, pueri cani. *Cimmerii*, postea dicti *Cimbri*, Romanis multisque Europae et Asiae populis infesti; *Gallogracci*. Eorum feritatis specimina. Cap. 32.



— Sequuntur *Celtiberi*. Sunt Iberes et Celtae mutuis connubiis iuncti. Eorum arma et tela, pugnandique ratio. Corpus ac dentes urina abstergunt. Cap. 33. Sunt mites in peregrinos. Victus. *Vaccaeorum* natio et *Lusitani* singulatim, utpote praestantiores, describuntur. Proelia ineunt paeanas canentes et ad rhythmum. Latrocinia ad exercitationum genus referunt. Cap. 34. De harum regionum metallis argenti. Fabula de silvarum incendio, quo argentum liquefactum sit; unde montes Pyrenaeos nomen habere somniant. Argento Phoenices allecti. Cap. 35. Rei metallica ratio apud Iberos usitata describitur. Cap. 36. Eiusdem comparatio cum Attica. Machina ad hauriendas aquas comparata et ab Archimede inventa commemoratur. (*Koχλται*. Vid. Lib. I, cap. 34.) Cap. 37. — Summa miseria servorum ad metalla damnatorum. Poenorum inde opes reportatae. In Iberia etiam stannum effoditur, quo praesertim insulae *Cassiterides* abundant. Alias Britannia eius copiam in Galliam transmisit. Cap. 38. Ligures. Terrae eorum indoles aspera, gentis mores. Cap. 39. — Ultimo loco de *Tyrrhenis* narratio adiungitur, a quibus mare Italiae subiectum nomen habet. Militiae pedestris, tubae, togae praetextae, lictorum, sellae curulis, multarum denique artium et vitae elegantioris erant magistri. Cap. 40.

Insulae meridionales in Oceano Arabiae. (Cap. 41—46.)

Ora maritima Arabiae et ulterior usque ad Gedrosiam describitur; praesertim Arabiae felicis. Adiacent plures insulae, sed tres prae aliis memoratu dignae. Una est *Sacra*, alia autem proxima, *sepeliendis mortuis* destinata. Thuris et myrrhae brevis historia. Cap. 41. Eius insulae magnitudo; incolae sunt *Panchaei*. — Tertia insula *Panchaia*, Iovis Triphylii templo clara. Cap. 42. Agri amoenitas, arborum varietas depingitur. Cap. 43. Templum et alia loca sacra, cap. 44; animalia, urbes, incolae. Horum tres classes, sacerdotum agricolorum, militum. Cap. 45. Militum usus; sacerdotum habitus, eorundem ortus e Creta. Alia insulae memorabilia, metalla, anathemata. Cap. 46.

Insulae in mari Aegeo. Cap. 47—84.

Samothrace. Olim Samos appellata, e Thracia accepit novos colonos. Ingens diluvium. Cap. 47. Saon, reipublicae conditor. Simul heroes alii, Dardanus, Iasion, Harmonia. Cap. 48. Harmonia Cadmo, Iasioni Cybele matrimonio iunctae. De his mythicae narrationes. Cap. 49.

Naxus. Olim Strongyle appellata. Primi coloni Thraces erant, quos Butes, Boreae fil. patria pulsus, eo abduxerat. Mulieres aliunde raptae. Cap. 50. Mox Otus et Ephialtes, ob raptam matrem et sororem, insulam occupant et Diam vocant. Post Cares immigrarunt, quorum rex Naxus a se nomen imposuit. Secutus est filius Leucippus, deinde Smerdius, quo regnante Theseus cum Ariadne advenit. Cap. 51. De Baccho in hac insula nutrito et educato, unde tanta vini Naxii praestantia. Cap. 52.

Syme. Primi incolae duce Chthonio advenere. Deinde Cares eam occuparunt. Tandem Nausus et Xuthus novas eo colonias deduxerunt. Cap. 53.

Calydna et Nisyros. Eas primo Cares incoluerunt, deinde Coi, post Rhodii cet. Cap. 54.

Rhodus et obiecta Chersonesus. Cap. 55—63. Rhodum olim Telchines incoluerant, artium multarum, praesertim statuarum inventores, et magicis artibus celebres. Neptunus apud eos educatus ex Halia genuit filiam Rhodum, unde insulae nomen impositum. Cap. 55. Telchines, inundationem praesagientes, relicta insula, in diversas partes abierunt. Sol. Rhodi amore captus, insulam servavit. Hinc nati Heliadae; Rhodii igitur Solem generis sui auctorem venerantur. Cap. 56. Heliadae astronomiae, artis nauticae, chronologiae inventores. De literarum et artium per eosdem divulgatione mythologica Graecorum. Cap. 57. Danai Aegyptii et Cadmi Phoenicis peregrinationes in hanc insulam. Serpentes, Rhodum devastantes, a Phorbante deleti. Cap. 58. Althaemenes, Catrei, regis Cretensium filius, patria profugus, in hac insula sedem fixit. Inscius occidit patrem. Paulo ante bellum Troianum Tlepolemus advenit, et insulae rex creatus est. Cap. 59.

Commodum visum simul *Chersonesum Cariae*, e regione

sitam, describere. Primi incolae Cares. Post V Curetes e Creta advenere, qui insulam in quinque partes diviserunt. Mox Cyrnus, Inachi iussu, filiam Io persecutus, in hac insula regnum obtinuit, et urbem Cynnum extruxit. Cap. 60. Triopas huc profugit. Cap. 61. Hemitheae, sive Molpadiac, in Castabofanum inclitum. Cap. 62. Omnium populorum communis pietas, ob remedia aegris in somno revelata. Cap. 63.

Creta. Cap. 64—80. Eteo-Cretes s. Aborigines, eorumque rex Cres. Dii plerique apud eos nati. Primi incolae Idaei Dactyli, a quibus Orpheus mysteria didicit. Cap. 64. Secuti sunt Curetes. Eorum inventa. Cap. 65. Iam de singulis diis antiquos mythos refert. Titanes erant, Urani et Terrae filii. Saturnus. Cap. 66. Hyperion. Latona. Prometheus. Mnemosyne. Themis. Cap. 67. Vesta, Ceres, cum Proserpina et Triptolemo. Cap. 68. Quae diversae gentes de Cerere eiusque frugum inventionem diversa tradant. Neptunus. Pluto. Cap. 69. Iuppiter; eius natales et pueritiae anni. Cap. 70. Eius virtutes resque in imperio egregie gestae, quibus divinos consecutus est honores. Cap. 71. Iovis cognomina et liberi. Cap. 72. — Filiae Iovis recensentur, et quibus singulae instructae fuerint, dotes. Cap. 73. — Musae. — Filii: Vulcanus, Mars, Apollo, eiusque filius Aesculapius. Cap. 74. Mercurius. Bacchus. Cap. 75. Hercules. Cap. 76. Plutus. Haec de diis apud se ortis. Sacra et initia in Creta primum instituta esse unde constet. Cap. 77. — Iam post deos heroes celebrantur: Minos. Cap. 78. Rhadamanthus et Sarpedon. Cap. 79. — De coloniis in Cretam immigrantibus; Pelasgis, Doribus, barbaris promiscuis, Argivis et Spartanis. Cap. 80.

Lesbus. Primi incolae Pelasgi, qui duce Xantho Triopae fil. insulam desertam occuparunt. Ante Issa appellata, nunc Pelasgiae nomen accepit. Post Macareus et Lesbus, Lapithae F. Aeoli N. novas colonias eo deduxerunt, insulamque Lesbum cognominarunt. Iisdem Chius, Samus, Cos subiectae. Cap. 81. — Hae insulae deinde *beatae* nominatae. Cap. 82.

Tenedus. Tennes, Cygni fil. insulae conditor. Cap. 83. Insulae minores *Cyclades* magis obiter commemorantur, quam aut singulatim recensentur aut describuntur. Cap. 84.

C) *Liber VI, qui historiae mythicae ultimus erat, interiit.*

OPERIS PARS ALTERA HISTORICA.

Argumentum.

Pars I sex prioribus libris continebat opus *mythicum*, quo Diodorus tempus mythis adumbratum persecutus est. Iam operis Pars II succedit, quae est *historica*, complectens tempora, resque in iis gestas, *stilo historico* descriptas. Interea enim scriptura alphabetica inventa, mox etiam idoneo scribendi instrumento et materia scripturae habili aucta, communique usui accommodata ac sensim divulgata erat: eius vero operatio et oratio cultior, rerum tum contemplatio tum enarratio et certior et planior facta est. Rudiore aetate oratio erat mythica, scriptura iconographica et hieroglyphica: utraque imaginibus res adumbrans, utraque incerta et fallax. Quemadmodum vero, cum primum parata et in promptu posita esset materiae copia, cui inscriberetur, et talis quidem, quae facilius complicari ac circumferri posset, novum illud scribendi genus ad res quascunque rectius percipiendas, clarius enuntiandas, latiusque vulgandas, multum valebat; ita tum demum, cum, abrogata et mythica dictione et iconographica seu hieroglyphica scriptura, literarum signa usu communi frequentarentur, rerum gestarum veritas, pristino scripturae genere obscurata, animo rectius percipi, et verbis aptius declarari, ac proinde scribendae historiae, proprie dictae, consilium capi potuit. Quam ob rem, etiamsi tempus, quo scribendi ars in usum vulgarem transierit, et mythica dictio obsoleverit, certis argumentis et indiciis definiri nequeat, cum tamen manifestum sit certe ante belli Troiani tempora eius rei in Graecia nulla obvia esse vestigia, contra vero tum scripturae alphabeticae usum vulgarem, tum orationis prosaicae et historiae scribendae prima pericula vel specimina in aevum bello Troiano se-

rius cadere, quod ambiguis intervallis vel propius vel remotius a bello Troiano abfuerit; apparet utique Diodorum idoneas habuisse causas, recteque et temporum rationibus convenienter egisse, qui bellum Troianum tanquam metam inter mythicam dictionem et historicum stilum posuerit, idque ipsum temporis momentum historicae descriptionis epocham constituerit. Itaque Partis alterius, tempus historicum seu stilo historico descriptum continentis, initium sumtum a proximis post bellum Troianum seculis. Indè historia usque ad Diodori Siculi aetatem perducta, et in bello Caesaris adversus Gallos finita. Illud universum temporis spatium annos ¹⁾ MCXXXVIII complectitur. Contentum autem erat libris reliquis XXXIV, a septimo usque ad quadragesimum, e quibus

Superstites sunt XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX, XX.

Interiorunt VI, VII, VIII, IX, X. — deinde XXI — ad XL omnino omnes.

Operis ratio universa describitur et expenditur.

Posterioris partis methodus a prioris ratione diversa est. In illa scriptor singulos populos singulaque regna separatim recensuerat. Regnabat itaque ordo ethnographicus. Filo temporis destitutus, in colligendis mythis de singulis populis acquieverat, ut in ipsa regnorum et principum serie, temporis qualemcunque quidem successionem observaret, annos autem non numeraret. Huius autem partis operis, quam historicam appellavimus, fundamentum sunt ampliora temporis spatia, epochis sive memorabilibus eventis distincta, ipsa dein in minora spatia divisa, quae tandem, ad Olympiadum ordinem, in singulos annos resolvuntur.

Ad cognoscendum autem operis consilium, rerum delectum, atque eas disponendi modum, nonnulla alia observare convenit, priusquam de universa partis posterioris oeconomia iudicium nostrum adferre sustineamus. Duplicem Diodorus in rerum gestarum expositione personam suscepit ¹⁾: alteram historici, qui uberiore descriptione res gestas explicaret, ea-

¹⁾ E computatione Diodori lib. I, c. 5.

rundem plenam et continuam historiam, quamvis ex instituto annis intercisam, exhiberet, rerumque causas investigaret, atque eas inprimis temporum rationes observaret et proderet, unde coeptorum eventus intelligi possent. Id quidem factum in regnis et rebus publicis, quarum in alia regna, in alias civitates, insigne erat momentum, rebus itaque gestis gravioribus, latius patentibus et inter plura regna communibus; verbo, quae historiae catholicae convenirent, eiusque essent partes. In hoc numero erant Persae, Graeci, Macedones, Carthaginienses, Alexandri M. successorum contentiones, res Siculae, Romani. In ipso ordine, quo regna se excipiunt, regnumque regno succedit, Diodorus historiae catholicae notionem atque regulam secutus est. Namque regnorum ac populorum res tum demum in corpus historiae catholicae recepit, cum momentum ad regna resque publicas alias habere coepissent. Ita Macedonum ante Philippum, Alexandri M. patrem, vel nulla vel levis mentio facta erat. Iam autem, cum Philippi coeptis et fortiter factis, imperium Macedonicum emereret, et in proximos populos vim exsereret, Macedonia¹⁾ locum in corpore historiae catholicae obtinuit. Quando vero rerum communiter inter plures civitates gestarum eodem tempore stirpes plures esse possunt; ipsae, nonnullae certe, nullo nexu vel foedere aliis iunctae: Diodorus separata separat, greges quasi plures facit, rerumque gestarum systemata plura seiungit, unumquodque autem singulis annis narrando persequitur. Eiusmodi rerum gestarum systemata disiuncta ac diversa, *ἑτερογενεῖς*²⁾

1) Οὗτος γὰρ --- ἐλαχίσταις ἀφορμαῖς χρησάμενος, μεγίστην τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην δυναστειῶν κατεσκευάσε τὴν ἰδίαν βασιλείαν. Lib. XVI, c. 1.

2) Sufficit uno exemplo rem illustrare. Lib. XVI se excipiunt res Macedonicae, Siculae, Graecae, Persicae. A rebus Macedonicis transitum parans ad res Siculas, cap. 5 princ. hac usus est formula: *Ἡμεῖς δ' ἐπεὶ τὰ κατὰ τὴν Μακεδονικὴν καὶ τὴν Ἰλλυρίδα διήλθομεν, μεταβησόμεθα πρὸς τὰς ἑτερογενεῖς πράξεις. κατὰ γὰρ τὴν Σικελίαν Διονύσιος κ. τ.λ.* Simile exemplum est lib. XI, cap. 20: *Ἡμεῖς δὲ ἀρχόντως διελθὼντες περὶ τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην πραχθέντων, μεταβίβασμεν τὴν διήγησιν ἐπὶ τὰς ἑτερογενεῖς πράξεις.* --- Add. lib. XVI, cap. 64.

πράξεις appellat. Singula autem, quovis anno, quamdiu constiterint, per orbem obit, quemadmodum etiam in quolibet rerum gestarum genere, si res diversis locis fuerint actae, plane ad exemplum¹⁾ Livii, singula loca ordine adit, et quae gesta ubique sint, singulatim perlustrat. 2) Altera persona est chronographi et indicis potius, quam historici. Ubi res gestae communes et late patentes principem operis historici locum occuparunt, his obiter adiiciuntur ac per annorum intervalla inseruntur res singulares, virorum ingenio scriptisque celebrium memoriae, casus memorabiles civitatum minorum, quae a systemate reliquorum populorum separatae manserant. Illae quidem erant *historiae primariae*, hae vero *notitiae historicae secundariae* ac *historiae catholicae* veluti²⁾ parerga.

¹⁾ Ut lib. XXIII. -- (Alias novi magistratus, omina etc. incipiunt) — Gesta Hannibalis in Italia. — Per idem fere tempus, literae ex Sicilia Sardiniaque Romam allatae, c. 21. — Dum haec in Italia geruntur apparanturque, nihilo segnius in Hispania bellum gestum erat, c. 26. — Dum haec in Hispania geruntur, Petelia in Brutiis, aliquot post mensibus, quam coepta oppugnari erat, ab Himilcone, praefecto Hannibalis, expugnata est, c. 30. — Et in Sardinia res per T. Manlium praetorem administrari coeptae, quae omissae erant etc. c. 40. — Per idem tempus T. Otacilius quinquaginta navium ab Lilybaeo classe in Africam transvectus depopulatusque agrum Carthaginiensem etc. c. 41.

²⁾ Argumentum operis praecipuum et principale i. e. historiam communem grandiorum regnorum et rerump. Diodorus proprio verbo *τὴν ἐπαγγελίαν τῶν γεγονότων* quemadmodum alteram partem eamque secundariam i. e. annotata chronologica et fragmentaria, *τὰς συνεχεῖς πράξεις*. Vid. lib. XX, c. 21 extr. Constat enim verbum *ἐπαγγελίαν* praeter alia etiam *propositum primarium*, idque in suas partes divisum, *opus promissum et annuntiatum*, significare; quam vocis vim illustravit Steph. in Thes. Tom. I, p. 20 sq. et sub voce *προκατασκευῆ* Tom. III, p. 821, quam synonymam esse asserit. Alibi eodem sensu alia formula utitur: *κατὰ τὴν ἐν ἀρχῇ βιβλίου πρόθεσιν*, lib. XVII, c. 118 extr. *ὑπόθεσιν ἱστορικῆν* quoque appellat lib. I, c. 3. Quod autem partem operis secundariam attinet, notum est τὸ *συνεχὲς* non semper de rerum ipsarum nexu et cognitione, sed saepe de tempore adhiberi, ut proinde αἱ *συνεχεῖς πράξεις* sint *res coevae*, quas argumento primaria operis subiicere constituerat. Ut haec, quae dixi, plane confirmantur,

In his posterioribus Diodorus ita versatus est, ut vel verbo res notaret potius quam copiose describeret, sicut lib. XV, cap. 81 extr. XVIII, cap. 13 extr. vel, omissa reliqua historia, non nisi fragmenta adferret, haec tamen ipsa uberius explicaret, ut lib. XX, c. 22—26, quo loco historiae Bospori Cimmerii particula exhibetur. Huiusmodi notitiis brevioribus plerumque extremus cuiusvis anni locus assignatus est, ubi, appendicis loco, regum aliarum terrarum, quae parvi momenti instar ad systema politicum haberent, obitus et successiones, aliaque memorabilia paucis nuntiantur, ut lib. XV, c. 52 extr. 88 extr. nonnunquam adeo totius anni argumentum annotatis chronologicis, e diversorum regnorum et rerumpublicarum historia decerptis, constat. Exempla habes lib. XVI, c. 36, 69, 91 tot. Hoc factum etiam est in rebus gestis singularum ipsius Graeciae civitatum, si ad universum populum, nullum habere momentum viderentur, ut lib. XV, cap. 78—81.

Ergo in altera operis parte Diodorus annalium scriptor est, hoc est historiae per annos dispositae. Iam si quaeris quae in tali operis compositione seu oeconomia placeant vel displiceant, quae fini huius operis historici, quae rebus recte ac plene percipiendis convenient vel adversentur, ultro fateor annalium rationem enarrandis rebus gestis, plures per annos continuatis, proinde uno complexu comprehensis, inde a primo principio, in conflictu plurium impedimentorum, intercedentibus multis annis, ad certum exitum perductis, parum videri accommodatam, ideoque in operis historici virtutibus minime ponendam. Quis enim est, qui neget res ad unum finem vergentes, quamvis in longam annorum seriem productas, et saepe impeditas, unum consummare actum, proinde integras debere proponi; eum autem modum, quem annalium scriptores sequantur, coeptorum progressionem contrarium esse, re-

comparanda sunt, quae Diodorus in proemio operis lib. I, c. 1—5, de universo operis suscepti consilio praemonuerat. Nam cum observasset plerosque scriptores unius tantum populi aut unius civitatis bella, paucos τὰς κοινὰς πράξεις descripsisse, professus est se τὰς κοινὰς τῆς οἰκουμένης πράξεις (lib. I, c. 1.) σύμπαντος κόσμου πράξεις ὥσπερ τινος μιᾶς πόλεως (lib. I, c. 3.) esse perscripturum.

rumque gestarum filum singulis annis et iteratis vicibus interruptum? Quo¹⁾ quid aliud futurum est quam ut lectoris animus, si rerum gestarum partes connexae toties interruptae cum aliis generis rebus confundantur, admodum turbetur? Quae quamvis ita sint, et potior rebusque enarrandis magis congrua Suetonii et Flori ratio esse videatur, qui res in species²⁾ distributas, singulas atque integras persecuti sunt; tamen, quod in Diodori opere vitium deprehendimus, habet cur certe excusari possit. Primo in nullo historiarum genere magis quam in historia catholica necessarium videri poterat ut synchronismo inserviretur, qui inter tot tamque varias res dux certissimus esset; hunc autem adiuvari, si deinceps ac per annos procedamus, singulisque annis in omnes partes dispiciamus, ac quae diversis locis et in diversis populis acta sint, quaeramus, quis dubitabit? Itaque multa ex quo fuerint commoda, eius incommoda aequum est ferre. Deinde eadem methodus historica, Thucydidis, Livii aliorumque scriptorum

¹⁾ Neque Diodorus ipse methodi incommoda vel ignoravit vel dissimulavit. Luculentus locus est, ubi minime requisieris, lib. XX, c. 43. Qui quamvis aliud spectet, quod in historia molestum est, tamen facile in hanc quoque partem accipi potest: *ταύτη ἂν τις καὶ τὴν ἱστορίαν καταμειψαίτο, θεωρῶν ἐπὶ μὲν τοῦ βίου πολλὰς καὶ διαφόρους πράξεις συντελουμένας κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν, τοῖς δ' ἀναγράφουσιν ἀναγκαῖον ὑπάρχον τὸ μεσολαβεῖν τὴν διήγησιν, καὶ τοῖς ἅμα συντελουμένοις μερίζειν τοὺς χρόνους παρὰ φύσιν.* Se accusare, sui operis rationem increpare videtur, dum in prooemio libri XVI, c. 1, rerum gestarum scriptoribus id officii impositum esse censeat, ut *πράξεις ἀντοτελεῖς ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τοῦ τέλους* narratione complectantur continua, additque probabilem causam: *αἱ μὲν γὰρ ἡμιτελεῖς πράξεις, οὐκ ἔχουσαι συνεχῆ ταῖς ἀρχαῖς τὸ πέρασ, μεσολαβοῦσι τὴν ἐπιθυμίαν τῶν φιλαναγνώστοντων.*

²⁾ Diodoro quidem ea ratio haud incognita fuisse videtur. Athanas enim Syracusanus, cuius scripta historica lib. XV, c. 94, recensuit, hanc methodum in uno certe opere secutus erat: *διελθὼν τὰς πράξεις ἐν κεφαλαίοις, συνεχῆ τὴν ἱστορίαν ἐποίησεν.* Namque apparet Diodorum his verbis nihil aliud indicare voluisse quam hoc, Athanam res gestas sigillatim, neque per tempora, sed per species, persecutum esse. Atqui ea erat Suetonii methodus. Vid. Octav. c. 9.

praeclarorum auctoritate et exemplis admodum erat celebrata et approbata. Quamobrem tantorum virorum exemplum secuto commune antiquitatis vitium Diodoro soli ne imputemus. Tandem omnem Diodorus ipse operam dedit ut incommoda, quae lectoribus sua methodus inferre videbatur, aliis modis imminueret et leviora faceret. Usus autem est his modis: 1) Ubique certis adhibitis formulis¹⁾ finalibus lectores admonuit ad quem cuiuslibet rei gestae et cuiuslibet regni finem narrationem produxerit. Quo quidem modo cavit ne animus, in tanta rerum per partes traditarum turba, confunderetur, memoriae autem magnum attulit adiumentum. 2) Nonnunquam, ac tum praesertim, cum res ipsa non repugnaret, plurium annorum historiam uno anno totam complexus est. Hoc ita instituit ut rerum hominumque, praesertim a systemate historiae communis separatorum, primam mentionem tum demum faceret, cum certum ac memorabilem eventum res consecutae essent; ubi, quae ante acta fuerant, simul repeliit, et ad eum finem, quem res attigerint, perduxit. Uno exemplo id illustrasse contenti simus. Agathoclis, Syracusarum tyranni historiam universam, quamvis e methodi regula per plures annos distribuenda fuisset, una²⁾ narratione complexus est. Simile exemplum erat, quod iam supra commemoravimus, regni Bosporani in Ponto, cuius cum per XXXVIII³⁾ annos nulla mentio facta esset, nunc⁴⁾ simul sex fere annorum historia inseritur. Idem etiam alibi, in ipsis rebus ad histo-

¹⁾ E multis pauca exempla illustrandae rei causa afferamus: lib. XVI, c. 15 sq. τὸ μὲν οὖν τῶν Βασιλέων πλῆθος οὕτω συνέστη κατὰ τὴν Ἰταλίαν. κατὰ δὲ τὴν Σικελίαν κ. τ. λ. cap. 64 extr. ἡμεῖς δὲ ἀρχοῦντος διεληλυθότες τὸν ἱερόν πόλεμον, ἐπάνειμεν ἐπὶ τὰς ἑτερογενεῖς πράξεις. — cap. 37 extr. ἡμεῖς δὲ τὰ περὶ Βοιωτοῦς καὶ Φωκείας διεληλυθότες ἐπάνειμεν ἐπὶ τὸν Φίλιππον. lib. XVIII, c. 7 sq. καὶ τὰ μὲν κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐν τοῦτοις ἦν. κατὰ δὲ τὴν Εὐρώπην etc. lib. XV, c. 93 seq. Eo usque quidem res in Asia gestae processerant, in Peloponneso vero etc. lib. XIX, c. 10: Nos Siciliae atque Italiae res persecuti, ad reliquas partes Europae orationem convertamus.

²⁾ Lib. XIX, cap. 2—9.

³⁾ Lib. XVI, cap. 52.

⁴⁾ Lib. XX, cap. 22—26.

riam communem pertinentibus, factum est, nonnunquam per plures annos omissis, deinde vero post elapsos eos summatim comprehensis et in unum annum ¹⁾ congestis; vel ante occupatis ²⁾, quae proximis demum annis evenerunt. 3) Adiuvento etiam erat, quod rerum multarum, eodem tempore apud alias gentes, quam quarum historia continua huius operis fundamentum erat, gestarum, si memoratu dignae viderentur, non nisi brevissima notitia, finito annuo cursu, adiecta est. De hoc autem iam supra dictum.

Ceterum cum e proposito in sola historiographia sit versandum, ea, quae in rebus ipsis perperam tradita videantur, iam non curo. Ea in subiunctis operi virorum doctorum annotatis diligenter sunt observata et sub examen vocata. Sed nescio an duo alia, quae offendant, et ad universam operis rationem pertineant, plane intacta relinquam. Unum est, quod Diodorus pacis foedera nonnunquam commemorat, praetermissis pacis conditionibus, ut lib. XII, c. 7, XV, c. 76, 89, XVI, c. 22; gesta quoque, quorum initium primosque progressus retulerat, nondum ad finem perducta subinde omittit, cuius generis exemplum in hoc operis conspectu ad lib. XV, c. 93, notavimus; alterum, quod prooemiorum necessitatem sibi imposuit, quasi illa ad historiae tenorem requirerentur. Excusatione adeo in libri XIII principio utitur, quod, ob rerum describendarum magnam copiam, prooemiis locus non amplius concedi possit. Id vero nimiae artis et molestae sedulitatis speciem habet.

Iam vero, cognita operis universi compositione et oeconomia, ad partes singulatim considerandas accedamus. Opus historicum, quae altera Bibliothecae pars est, duabus ³⁾ epochis distinctum, et in duas periodos magnas descriptum est:

Periodus I. A bello Troiano usque ad Alexandri M. obitum; lib. XI—XVII.

¹⁾ Vid. Lib. XIV, cap. 35, 36, 37, coll. cap. 79, 80, et Conspectum nostrum ad h. l.

²⁾ Exemplum eius rei ad lib. XIV, cap. 31, in hoc ipso operis conspectu observatum est.

³⁾ Conf. lib. I, cap. 4 extr.

Periodus II. Ab Alexandro M. usque ad Iul. Caesarem, eiusque bellum Gallicum; lib. XVIII—XL.

Itaque similiter atque in priore operis parte facere instituimus, utriusque periodi, ut quaeque in minores periodos, quas sectiones appellare placuit, tum in Olympiades, tum in annos divisa est, conspectum¹⁾, qui lectoribus hodegetae instar esse possit, proponamus.

PERIODUS I.

A bello Troiano usque ad Alexandrum M.

Lib. VII—XVII.

Prioris periodi, cuius maiorem partem habemus servatam, summa in quatuor sectiones, seu minora temporis spatia, distributa est:

- I. *A bello Troiano usque ad Xerxis in Graeciam bella, lib. VII—X.*
 - II. *A Xerxis expeditione in Graeciam usque ad Philippum R. Macedoniae, lib. XI—XV.*
 - III. *Aevum Philippi R. Maced. lib. XVI.*
 - IV. *Actas Alexandri M. lib. XVII.*
- Singularum sectionum argumenta ordine recenseamus.

Periodi I.

Sectio I.

A bello Troiano usque ad Xerxis bellum in Graecos susceptum.

Lib. VII—X.

Hi quidem libri omnino omnes perierunt. Eorum argumenta nonnulla, ut sunt vel commemorata vel in fragmentis obvia, indicavit Heynius supra vol. 2, p. XXI, s.

¹⁾ In hoc quidem summa tantum perstrinximus, quod ad perspiciendam rerum traditarum seriem sufficere videbatur; in iis autem argumentis, quae initio singulorum voluminum

Reditus Argivorum, errores et sedes novae ab iis captae.
Heraclidarum ingressus in Peloponnesum, octogesimo a
Troia capta anno.

Corinthi a Doriensibus occupatae origines. De Munychio.
Coloniae e Graecia in diversas terras ductae.

Roma condita et origines gentis ab Aenea ductae.

Res Spartanorum. De Lycurgo. De belli Messeniaci primi
causis.

Res Atheniensium. De septem sapientibus. De Pythagora
et Pythagoreis.

De Cyro, Astyage, Croeso.

Siciliae res.

Tandem libro X agebatur de primordiis regni Xerxis, eius-
que apparatu belli adversus Graecos suscipiendi, et Graeco-
rum conventu ad Corinthum habito.

Periodi I

Sectio II.

A Xerxis bello in Graeciam suscepto usque ad Philippum
R. Maced.

OI. LXXV—CIV. Lib. XI—XV.

1. *Initium belli a Xerxe in Graecos gesti usque ad bel-
lum Atheniensium Cyprium.*

Lib. XI.

Olymp. LXXV, 1. — LXXXII, 2.

Prooemium spatii temporis hoc libro contenti terminos
indicat. Suasor belli Mardonius, socii Persarum Carthaginien-
ses. Horum apparatus bellicus. Cap. 1.

Olymp. LXXV.

Ann. 1. Adventus Xerxis in Graeciam. Ad eum multae
Graeciae civitates defecerant, quae notantur infamia. Graeco-

sunt apposita, omnia accuratius exegimus; ad quae proinde
respicere iuvabit; quoties, quae hic generatim et universe in-
dicavimus, per partes ac singulatim perlustrare velis.

rum copiae, duce Leonida. *Pugna terrestris* ad Thermopylas: Persae ter pulsi; tandem perfidia Trachinii victores; Leonidas cum suis occubuit. Cap. 2—10. *Pugnae navales* ducibus Eurybiade et Themistocle, primo ad Artemisium, ubi victoria dubia erat. Interea Xerxes Atticam devastat. Cap. 11—14. Tum ad Salaminem, qua pugna Graeci praeclaram victoriam reportant. Rex metu percussus fuga in regnum se recipit, Mardonio in Graecia relicto. Cap. 15—19. Per id tempus Carthaginienses, foedere iuncti cum Persis, bellum, ut inter ipsos convenerat, duce Hamilcare, Graecis in Sicilia inferunt. Eorum copiae et terrestres et navales. Gelo Syracusarum princeps, vir prudentissimus rei que militaris peritissimus, Graecorum vindex et servator erat. Is strategemate usus et classem hostium incendit et Hamilcarem obruncat et terrestri proelio hostes fundit. Inde Carthaginienses pacem petunt, et a victore miti aequas eius condiciones impetrant. Cap. 20—26.

* Parergon: Pindari actas.

Ann. 2. Classis Persarum circa Cumam et Samum Ioniae insidiatur. Mox similtates inter Athenienses et Lacedaemonios; ob quas Mardonius Athenienses in suas partes trahere nequidquam annititur. Quo facto caede et incendiis Atticam vastat. Sed Graecorum de liberanda patria summa unanimatas. Itaque duplici proelio, eodem die commisso, debellatum; altero terrestri apud Plataeas, Aristide et Pausania ducibus, altero navali ad Mycalen, Leotychida et Xanthippo ducibus. Bellum Persicum fuit biennale. Cap. 27—37.

* Parerga: Herodotus in pugna ad Mycalen opus suum finit.

** Romae Sp. Cassius, ambitionis reus, capitis damnatur.

Ann. 3. In Sicilia Gelo pacis artibus bene de civibus meret, cuius in regno successor erat Hiero frater. Cap. 38. In Graecia Lacedaemonii Atheniensibus infesti ob instaurata urbis moenia. Cap. 38—40.

** Parergon: Romani Tusculanos et Aequos bello subigunt.

Ann. 4. Themistoclis singulari prudentia portus Piraeus constructus. Interea Pausanias cum classe missus, ut civitates Graecas, quae adhuc in Persarum potestate essent, liberaret,

luxuria Persarum magnisque promissis victus, patriam prodidit. Fides Aristidis et perfidia Pausaniae comparantur. Cap. 41—47.

Olymp. LXXVI.

Ann. 1. Non nisi annotata chronologica continet: moriuntur Leotychidas Spartanorum rex, cui Archidamus succedit, et Anaxilaus Rhegii et Zancles tyrannus. — In Sicilia gravissimae similtates inter Hieronem et Polyzelum, eius fratrem, Theronis opera reconciliatae. Recepti in urbes novi coloni, pristinis incolis in alias sedes migrare iussis. Catanam Hiero incolis et agro auget, novoque nomine Aetnam appellat. Cap. 48. 49.

Ann. 2. Lacedaemonii cum Atheniensibus de maris imperio concertare decernunt, et bellum parant. Hetoemaridas eos a consilio abducit. Cap. 50.

Ann. 3. In Italia Tyrrhenorum in Cumanos bellum: in auxilium venit Hiero, qui Tyrrhenos proelio domat. Cap. 51.

Ann. 4. Bellum inter Tarentinos et Iapyges de agrorum finibus. Cap. 52.

Olymp. LXXVII.

Ann. 1. In Sicilia Thero Agrigentinarum princeps moritur: Thrasydaeus, filius et successor, ob superbiam mox regno pulsus. Cap. 53.

Ann. 2. Themistocles, a Lacedaemoniis proditoris accusatus, ostracismo patria expellitur. Eius fuga ad Molossorum regem, deinde ad Xerxem. Elogium. Cap. 54—59.

** Parergon: In Italia Buxentum conditum.

Ann. 3. Athenienses, misso Cimone cum exercitu in Asiam, sociorum urbes recuperant, adhuc Persarum praesidiis occupatas, remque publicam opibus augent. Cap. 60. 61. 62.

Ann. 4. Spartani ingentem calamitatem passi sunt terrae motibus. Mox secutum est bellum decennale contra Helotas et Messenios rebelles. Cap. 63. 64.

Olymp. LXXVIII.

Ann. 1. Mycenaei, bellum moventes in Argivos, sub quorum imperio esse nolebant, in servitutem redacti. Cap. 65.

Ann. 2. Anaxilai, Zancles quondam principis, filii suscipiunt principatum, a Micytho tutore administratum, in fidem summae probitatis viri male suspiciosi. — Hieroni in imperio succedit frater Thrasybulus. Cap. 66.

Ann. 3. Thrasybulus ob avaritiam et superbiam civibus exosus, regno expulsus, apud Locros vitam privatam agit. Syracusani libertatem recuperant, deinceps usque ad Dionysii principatum servatum. Eorum exemplum secutae reliquae civitates, abrogato regio imperio, suis quoque rebus publicis libertatem asseruerunt. Cap. 67. 68.

** Romae tum primum quatuor tribuni plebis creati.

Ann. 4. Xerxes, Persarum rex, per insidias Artabani et Mithridatis occisus. Superstes filius Artaxerxes caedem parentis ulciscitur et regno potitur. Cap. 69.

Olymp. LXXIX.

Ann. 1. Thasii et Aeginetae, ab Atheniensibus deficientes, armis in potestatem rediguntur. Plures socii aspero et superbo imperio Atheniensium ad defectionem adaeti. — Colonia Amphipolin missa, mox cum ulterius in Thraciam progrediretur, ab Edonorum populo oppressa est. Cap. 70.

Ann. 2. Aegyptii, audita et morte Xerxis et perturbatione rerum, seditionem in Persas movent, iisque expulsis, Inarum novum regem e suis creant, et Athenienses socios sibi iungunt. Itaque Artaxerxes bellum in ipsos parat. C. 71.

In Sicilia, cum in dies res, recuperata libertate, laetiores fierent, Syracusis peregrini, in civitatem recepti, a muneribus gerendis exclusi, novas turbas suscitant. Cap. 72. 73.

Ann. 3. Artaxerxes Aegyptiis bellum infert, duce Achae-mene. Athenienses, Aegyptiorum socii, Persas proelio vincunt, et fugientes insequuntur usque ad Album murum (Memphin, quod patet e cap. 77), eosque obsidione clausos tenent. Renovat bellum rex, quamvis Lacedaemonii, in auxilium vocati, in Atticam incursionem facere recusent. Cap. 74.

Ann. 4. Continuatum Persarum bellum in Aegyptios. Artabazus et Megabyzus, qui novas copias ducunt, in ipso itinere annum consumunt. Cap. 75.

In Sicilia peregrini tandem victi. Cap. 76.

Olymp. LXXX.

Ann. 1. Aegyptii, adventu novi exercitus Persarum ter-
riti, ultro tandem pristino imperio se subiiciunt, destitutis
sociis. Athenienses iam ante obsidionem Albi muri omittere
coacti erant. Insuper ipsorum naves, cursu fluminis foësis in-
tercepto, in sicco haerebant. Itaque, venia impetrata, ultro
in patriam redeunt. Cap. 77.

Athenis motus populi in Areopagitas per Ephialtem con-
citatus.

Ann. 2. Bellum Atheniensium in Corinthios, Epidaurios,
mox Aeginetas. Ubique Athenienses victores. Cap. 78.

Eo tempore Ducetius in Sicilia Menaenum urbem condidit
et Morgantiuam vi cepit.

Ann. 3. Contentiones Corinthiorum et Megarensium de
finibus in bellum erumpunt. Athenienses, Megarensium socii,
superiores. Mox novum oritur bellum Phocensium in Dores,
quibus Lacedaemonii auxilio veniunt: vincunt Dores. Hinc
conflatur bellum inter Athenienses et Lacedaemonios. Cap.
79. 80.

Ann. 4. Bellum Atheniensium in Lacedaemonios. Cap.
81. 82. 83.

Olymp. LXXXI.

Ann. 1 et 2. Bellum Atheniensium et Lacedaemoniorum
continuatum. Cap. 84. 85.

Ann. 3. Auctore Cimone quinquennales induciae inter
Athenienses et Lacedaemonios factae.

In Sicilia multi motus: primo inter Segestanos et Lilybaeos
de agro; deinde omnino inter sectatores vel libertatis vel ty-
rannidis. Tyndarides ob affectatum regnum supplicio affectus.
Syracusani nunc primum pro libertate tuenda ostracismi spe-
cie, petalismo utuntur. Cap. 86. 87.

Ann. 4. [Repetita narratio de Periclis incursione in Pe-
loponnesum e cap. 85, in alienum locum transposita videtur.]
Mox Syracusani classem infestam in Tyrrenorum insulas
agrosque mittunt ad compescenda eorum atrocinita maritima.
Post haec Ducetius de Sicilia bene meruit: 1) iungendis omni-
bus Siculorum civitatibus in unam magnam rempublicam;

2) exstructa nova urbe Palice iuxta templum Palicorum. —
Obiter de diis et lacubus Palicis. Cap. 88. 89.

In Italia Sybaris urbs instaurata. Cap. 90.

Olymp. LXXXII.

Ann. 1.

Ann. 2. Alia gesta Ducetii; 3) Aetnam urbem et Motyum castellum occupat, proelio fuis Agrigentinis. Mox tamen a Syracusanis proelio victus, et a suis desertus, Syracusanis supplex factus, Corinthum in exilium abire iussus est. Cap. 91. 92.

2. *A bello Cyprio usque ad bellum Syracusanum.*

Lib. XII.

Olymp. LXXXII, 2. — XCI, 1.

Prooemium. Res pessimae eventu saepe optimae. Bello Persico, quod Graeciae interitum minabatur, Athenae opibus auctae, mox ingenio literarumque studiis florentissimae. Cap. 1. 2.

Ann. 3. Finito bello Aegyptio contra Persas (conf. Ol. LXXX an. 1), Athenienses novum bellum ob Graecos in Asia in libertatem vindicandos in Persas suscipiunt. Primo petunt Persas in Cypro insula; unde bello nomen Cyprii impositum. Cap. 3.

Ann. 4. Pax cum Persis restituta, eiusque conditiones. Cap. 4.

Olymp. LXXXIII.

Ann. 1. Megarenses ob defectionem ad Lacedaemonios ab Atheniensibus bello subacti. Cap. 5.

Ann. 2. Bellum inter Lacedaemonios et Athenienses. Superiores discedunt Lacedaemonii. Cap. 6.

Ann. 3. Induciae XXX annorum. Cap. 7.

In Sicilia bellum inter Syracusanos et Agrigentinos ob illorum in Ducetium indulgentiam (vid. supra lib. XI, cap. 92), huiusque in patriam reditum. Victores Syracusani. Pax tandem componitur. Cap. 8.

In Italia Sybaritarum in Crotonem bellum, ob exsules re-

ceptos. Victi Sybaritae, urbs excisa. Exsules ab Atheniensibus adiuti novam urbem Thurium condunt. Novae urbis descriptio, et cum antiquae urbis incolis controversiae. Legislator Charondas. Legum exempla per capita; legislatoris mors. Cap. 9—19. Adiecta notitia vicinae urbis legislatoris, Zaleuci Locrensis. Cap. 20. 21.

Ann. 4. Sybaritae ad Traentem fluvium se recipiunt; postea a Brutiis expulsi, Athenienses civium coloniam in Euboeam mittunt. Cap. 22.

Olymp. LXXXIV.

Ann. 1. ** Romae Decemviri legibus scribendis creati. Bellum Thuriorum et Tarentinorum. Cap. 23.

Ann. 2. ** Appii Claudii libido. Inde orta seditio. Conditio proposita ut X tribuni plebis et alter consul de plebe crearentur. Cap. 24. 25.

Ann. 3. ** Leges XII tabularum. Tum communis pax populorum orbis terrarum erat. Cap. 26.

Ann. 4. Samiorum de Priene bellum contra Milesios, et defectio ab Atheniensibus, qui duce Pericle eos in potestatem redegerunt. Hic primus adhibuit machinas bellicas. Cap. 27. 28.

Olymp. LXXXV.

Ann. 1. Ducetius, vindex Siculorum barbarorum, moritur. Tum Syracusani, occupatis multis urbibus, etiam Trinacria, per Siciliam dominantur. Cap. 29.

Ann. 2. Corinthiacum bellum pro Epidamniis contra Coreyraeos gestum. Cap. 30.

** Romanis cum Volscis bellum fuit.

Ann. 3. Campanorum gens orta. — In regno Bospori Cimmerii Archeanactidis succedit Spartacus. — Continuatum bellum Corinthiacum. Corinthii a Coreyraeis proelio navali victi. Cap. 31.

Ann. 4. Corinthii et Coreyraei novo apparatu bellum urgent. Cap. 32. Tum Athenienses coloniam Amphipolin deducunt.

Olymp. LXXXVI.

Ann. 1. Coreyraei, Atheniensium societatem nacti, secundo proelio fundunt classem Corinthiorum. Cap. 33.

Ann. 2. Athenienses Potidaeatas, ab ipsis abalienatos, proelio victos obsidione premunt. Cap. 34. — In Propontide iidem novam urbem Letanum condunt.

** Romani coloniam mittunt Ardeam.

Ann. 3. Discordiae Thuriorum, cuius civitatis essent coloniae. Cap. 35. — Moritur Archidamus Lacedaemoniorum rex; succedit Agis.

Ann. 4. Spartaci regis Bosporani mors. Metonis Atheniensis computationis astronomicae nova tabula. In Italia Heraclea condita. Cap. 36.

Olymp. LXXXVII.

Ann. 1. Athenienses proelio apud Potidaeam victores. Obsidio urbis longior et gravior. Cap. 37. Ab hoc anno Thucydides exorsus historiam.

Ann. 2. Belli Peloponnesiaci initium. Causae belli; hortator Pericles. Cap. 38 — 40. Lacedaemonii primi inferunt bellum, vi occupata Plataea, urbe Atheniensibus foedere iuncta. Copiae et socii Lacedaemoniorum. Lacedaemoniorum prima incursio in Atticam. Pericles classe adoritur Peloponnesum, ut Lacedaemonios Attica pelleret. Cap. 41. 42.

Ann. 3. Athenienses incursant in Peloponnesum et sociorum terras. Lacedaemonii secundam incursionem in Atticam faciunt. Criminationes in Periclem. Cap. 43 — 45.

Ann. 4. Periclis mors; post quem Hagnonem imperatorem creant. Hic Potidaeam tandem capit. Cap. 46. Phormio ad Naupactum Lacedaemonios intercludit. Archidamus Plataeas oppugnat. Xenophon et Phanomachus Athenienses in Thracia; Cnemus Lacedaemonius in Acarnania, bellum gerunt. Phormio pugna navali ad Rhium victor. Cap. 47. 48.

Olymp. LXXXVIII.

Ann. 1. Cnemus irrito conatu in Salaminem traicit, et Piraeum adoriri parat. Cap. 49.

Sitalces rex Thraciae hoc tempore memorabilis, tum virtute et prudentia, qua eminebat, tum bello in Perdiccam regem Macedoniae gesto. Cap. 50. 51.

Lacedaemonii tertium invadunt Atticam. Cap. 52.

Ann. 2. Syracusani bellum in Leontinos movent, qui misso Gorgia Atheniensium auxilium implorant. Cap. 53. 54. — Lesbii ob perfidiam ab Atheniensibus in potestatem reducti. Cap. 55. Plataeae a Lacedaemoniis captae et excisae. Cap. 56. Seditio in insula Coreyra mox per Athenienses composita. Cap. 57.

Ann. 3. Pestilentia, iam ante saeviens, Athenis nova vi grassatur. Morbi causae, remedia. Cap. 58. Terrae motus. Ob eos Lacedaemonii a nova incursatione in Atticam avertuntur. Trachin a Lacedaemoniis instaurata et Heraclea appellata. Cap. 59.

Ann. 4. Classis Atticae, duce Demosthene, expeditiones in Leucadem, Arcananes, Pylum. Cap. 60—63.

* Adiciuntur notitiae chronologicae: mors Artaxerxis Persarum regis.

** In Italia Aequi subacti a Romanis; Postumii triumphus et in filium asperitas. Cap. 64.

Olymp. LXXXIX.

Ann. 1. Classis Atheniensium, auspiciis Niciae, late vagatur et infestat Peloponnesum sociosque Lacedaemoniorum in insulis. Cap. 65. Megarenses, ad Athenienses deficientes, vindicati a Brasida. Helotas fraude occidendi Lacedaemoniorum consilia. Cap. 66. 67. Brasidas Amphipolin etc. occupat. Cap. 68. Athenienses cum Boeotis decertant, ac proelio apud Delium vincuntur. Cap. 69. 70. Adiectae breves notitiae de morte Xerxis in Persia, eiusque proximis successoribus; et de Antiocho Syracusano, rerum Sicularum scriptore. Cap. 71.

Ann. 2. Brasidae in Thracia ultiores progressus. Urbes et insulae ultro deficient ab Atheniensibus. Consilia horum de induciis faciendis mox irrita facta. Cap. 72.

Ann. 3. Cleonem Athenienses contra Brasidam in Thraciam mittunt. Proelium ad Amphipolin: victoria Lacedaemoniorum erat, amissis ab utraque parte imperatoribus. Tum induciae L annorum¹⁾ initae. Cap. 73. 74.

Ann. 4. Sociae civitates, Argos, Thebae, Corinthus, Elis,

¹⁾ Octavo post anno a Lacedaemoniis dissolutae. Vid. Ol. XCI, 3. lib. XIII, 8.

quod Athenienses et Lacedaemonii privatis consiliis pactionem inierant, contra eos ipsi in societatem coeunt. Cap. 75. 76.

* In Italia Campani Cumas bello subigunt.

Olymp. XC.

Ann. 1. Athenienses, oraculo admoniti, Deliis reddunt insulam. Ob Pylum non redditam nova dissidia inter Lacedaemonios et Athenienses. Utrique in suas partes trahunt singulas civitates. Impetus in Heracleam et Meczybernam. Cap. 77.

Ann. 2. Argivi Atheniensibus iuncti bello adoriuntur Lacedaemonios (Epidauros, Lacedaemoniorum socios), sacrorum Apollinis causa. Lacedaemonii victores. Cap. 78. 79.

Ann. 3. Internae contentiones Argivorum. Orta dissidia inter Phocenses et Locros. Cap. 80. — In Italia bellum Romanorum in Fidenates.

Ann. 4. Internae discordiae Argivorum, et in eorum terram incursiones Lacedaemoniorum. Cap. 81. Belli Peloponnesiaci an. XV.

Olymp. XCI.

Ann. 1. Byzantii, Chalcedonii, Thraces in Bithyniam incursionem faciunt.

In Sicilia Segestani et Selinuntii de finibus disceptant: adiungere se Segestanis Leontini, et ab his ad auxilium ferendum contra Syracusanos vocati Athenienses. Ita oritur bellum Syracusanum. Cap. 82—84.

3. *A bello Syracusano usque ad belli Carthaginiensium in Sicilia contra Dionysium initium.*

Lib. XIII.

Olymp. XCI, 2. — XCIII, 4.

Prooemium continet causam, ob quam in posterum prooemiis abstinendum sit, quae alioquin lectoribus animi remissionem et oblectationem praebeant. Tantam superesse rerum copiam ut nihil spatii aliis digressionibus relinquatur. Additur annorum ratio. Cap. 1.

Ann. 2. Classis Atheniensium eiusque duces Alcibiades, Nicias, Lamachus. Athenis Hermae truncati omnes, ob quod facinus Alcibiades in suspicionem venit. Iter usque ad Rhe-

gium. Cap. 2. 3. Syracusanorum duces, Hermocrates, Sicanus, Heraclides, paucarum civitatum societatem et auxilia adipiscuntur. Athenienses Naxum et Catinam occupant. Cap. 4. Ob Hermas eversas crimen movetur in Alcibiadem; qui Lacedaemonem aufugit. Cap. 5. Interea Athenienses propius Syracusas movent, Olympium aliaque loca vicina occupant, ipsosque Syracusanos proelio fundunt. Cap. 6.

** Obiter annotatum Diagoram atheum clam Athenis abiisse; in Italia Romanos cum Aequis bellum habuisse.

Ann. 3. Dum Syracusas obsident Athenienses, Lacedaemonii et Corinthii, concitati ab Alcibiade, Syracusanis auxilia mittunt. Committitur proelium, quo Syracusani vincunt. Alcibiadis impulsu induciae, Ol. 89 an. 3 factae, abrumpuntur. Cap. 7. 8.

Ann. 4. Iam Lacedaemonii cum exercitu invadunt Atticam, Decelia occupata et munita; unde Decelicum bellum appellatum: contra Atheniensium classis adoritur Laconiam. In Sicilia autem belli sedes communis et vis maxima. Cap. 9. Iterato proeliantur. Ubique autem vincuntur Athenienses. Cap. 10—15. Atrocissima et novissima pugna describitur. Cap. 16. 17. Pars maxima Atheniensium caesa; reliqui cum Nicia et Demosthene capti. De captivorum sorte deliberatio. Cap. 18. 19. Nicolai oratio ad clementiam adhortantis. Cap. 20—27. Gylippi oratio omni clementiae et humanitati adversaria. Cap. 28—32. Secundum hanc imperatores Atheniensium trucidati, reliqui ad latomias damnati, poena liberati ii qui artibus erant exulti. Cap. 33.

Ceterum observatu dignum hic primum Diodoro placuisse iustas narrationi inserere orationes. De iis raro, nec nisi loco et re postulante, adhibendis ubi haud vana ornamenta sint, ipse in prooemio ad lib. XX, cap. 1 disseruit.

Olymp. XCII.

Ann. 1. Post tot tristes eventus respublica Atheniensium a sociis deserta est. Ipsi democratiam in aristocratiam transformant, creatis CCCC viris, qui praeesent reipublicae. Novam cladem iidem accipiunt proelio navali apud Oropum cum Lacedaemoniis commisso. Insuper Syracusani Lacedaemoniis

nova auxilia praedaeque partem mittunt. Cap. 34. Syracusanorum nova constitutio reipubl. per Dioclem. Cap. 35. Cum omnia essent iniqua, Darius etiam rex Persarum classem CCC navium contra Athenienses mittere parat; sed Alcibiades hanc novam belli molem a patria avertit, quo ipso cum patria in gratiam rediit. Cap. 36. 37.

Ann. 2. In republica Attica e consilio Theramenis democratica ratio restituitur, alia etiam in patriae commodum instituuntur: tum, novo apparatu aucta classe, Lacedaemonios insectantur. Pugna navalis inter Sestum et Abydum, qua superiores sunt Athenienses. Praeter pugnam tempestate etiam afflicta Lacedaemoniorum classis. Hoc tempore, hortante Theramene, Alcibiades patriae redditus. Cap. 38—42.

* Adiungitur notitia literaria de Thucydide finiente historiam, de Xenophonte et Theopompo cum excipientibus.

** Continuatum bellum inter Romanos et Aequos obiter commemoratur.

Ann. 3. Interea in Sicilia Segestani, agro vi raptò, a Selinuntiis ad bellum provocati. Carthaginenses Segestanis, Syracusani Selinuntiis auxilio veniunt. Ita novum bellum Carthaginense in Sicilia oritur. Cap. 43. 44.

Lacedaemoniorum classis, obvia facta Atheniensibus, proelio navali ad Dardanium funditur. Cap. 45. 46. Quo facto Theramenes Atheniensium imperator ex hostium agris, quos devastat, magnam vim pecuniae in belli usum cogit. Euboea, Euripo aggere expleto, contra eos se tutatur. Cap. 47. In insula Coreyra seditio et caedes atrocissima tandem sedata. Cap. 48. Pydna in Archelai regis Macedonum potestatem redacta, auxiliante Theramene. Tum vero classes ab utraque parte contractae ad proelium se parant. Lacedaemonii circa Cyzicum duplici proelio ad internecionem caesi pacis conditiones offerunt; sed Athenienses pacem accipere recusant. Cap. 49—53.

Ann. 4. Redit Diodorus ad bellum Carthaginense in Sicilia gestum. Miserant Carthaginenses Hannibalem cum classe et copiis. Ille Selinuntem urbem summa vi oppugnat, captamque excidit. Multiplicis immanitatis in incolas descriptio. Cap. 54—58. Deinde pari crudelitate saevit in Himeram, furore

accensus¹⁾ ob avum Hamilcarem, ibi priori bello trucidatum, et patrem Gesconem, eius urbis causa in exsilium missum. Tum praeda onustus Carthaginem redit, relicto tamen in Sicilia praesidio. Cap. 59—62. — Hermocratis Syracusani relictus incidit in hoc tempus. Cap. 63.

Inde scriptor ad belli Peloponnesiaci historiam se convertit. Ab Epheso, quam oppugnare conati sunt, Athenienses, duce Thrasybulo, repulsi Lesbum petunt. Theramenes Chalcedonem et Byzantium obsidet, Alcibiades Pharnabazi provinciam exspoliat. Lacedaemonii vero Pylum recuperant, mox Nisacam et Chium capiunt; ad Chalcedonem autem proelio vincuntur, amisso Hippocrate imperatore. Alcibiades in Hellespontum et Chersonesum expeditionem suscipit, deinde iunctis copiis cum Theramene Byzantium oppugnat, eamque urbem in fidem recipit. Cap. 64—67.

Olymp. XCIII.

Ann. 1. Post tot res praeclare gestas Atheniensium imperatores cum classe spoliis onusta Athenas proficiscuntur, relicto Byzantii praesidio Alcibiadi soli summum imperium traditum. Eius in Andrum, Con, Rhodum expeditio. Cap. 68. 69. Lacedaemonii in locum Mindari substituunt Lysandrum, qui undique novas copias colligit classemque auget. Persae auxilia et pecunias praebent. Cap. 70. Inscio et invito Alcibiade Antiochus pugnam navalem apud Notium init. Lacedaemonii victores. Eodem tempore Agis rex Lacedaemoniorum Atticam invadit. Cap. 71. 72. Alcibiadi ob Cumam, sociam urbem, infestatam, aliaque crimina, imperium abrogatum: quo facto sponte in Thraciam in exsilium abit. Imperium inter X duces divisum. Cap. 73. 74.

* Adiciuntur rerum aliarum notitiae: Synoris nunc primum certaminibus Olympiacis adiecta. Plistonax rex Lacedaemoniorum moritur: succedit Pausanias. In insula Rhodo tres civitates in unam iunctae. Hermocrates occisorum Syracusanorum ossa colligenda curat, ut favorem sibi et redeundi veniam conciliet. Nihilominus occiditur. Cap. 75.

¹⁾ Conf. lib. XI, c. 22. XIII, c. 43.

Ann. 2. Conon Atheniensium imperator classem ad pugnam instruit. Apud Lacedaemonios Callieratidas excipit Ly-sandrum, et statim Athenienses in Chio et Lesbo opprimit. Sequitur proelium navale apud Mytilenen, quo Athenienses ad fugam coacti sunt: tum urbem ipsam oppugnat Conon. Cap. 76 — 79.

In Siciliam respicit Diodorus. Syracusani pacem a Carthaginensibus nondum impetrant. Nova urbs Thermarum, in quam confluunt Himerenses exsules, Poeni, Afri. Cap. 79 extr.

Ann. 3. Manet historicus in rebus Siculis. Carthaginenses prospere gestis freti, tota insula potiri annuntur. Pars classis praemissa a Syracusanis funditur. Sequitur statim Hannibal, cui Imilconem socium dant. Syracusani et Agrigentini sua et aliena vi se defendere student. Omnis vero belli impetus Agrigentum spectabat. Cap. 80. 81. Descriptio urbis a fertilitate agrorum, a mercatura, ab opulentia civium et a magnificentia aedium. Cap. 82 — 84. Urbs oppugnata. Fortuna invicem pugnantium varia erat. Castra Carthaginensium peste corripuntur, qua Hannibal ipse opprimitur. Cap. 85. 86. Tandem Agrigentini fame coacti, relictis in urbe senibus et infirmis, Gelam migrant. Cap. 87 — 89. Urbs capta a Poenis, mox devastata: relictis omnes caesi, praeda vel divisa vel Carthaginem transvecta, praesertim ablata artis opera, et in his taurus Phalaridis. Obiter reprehenditur Timaeus, qui eum taurum unquam fuisse negaverat. Cap. 90. Ob acceptam cladem summa per Siciliam indignatio in duces Syracusanorum oritur. Eam alendo Dionysius plebem in magistratus concitavit: quo facto solus summum imperium et sensim tyrannidem consecutus est. Cap. 91 — 96.

Haec persecutus Diodorus belli Peloponnesiaci historiam continuat. Athenienses, instaurata classe, quamvis dissuadentibus vatibus, Lacedaemonios apud insulas Arginusas ad proelium provocant. Proelii ipsius, longe atrocissimi, descriptio. Lacedaemonii in fugam acti, amisso imperatore Callieratida. Cap. 97 — 100. Supplicium sumtum de ducibus nobilissimis meritissimisque, qui insepultos reliquissent caesos in pugna. Cap. 101. 102. 103.

* Notitia de Philisto rerum Sicularum scriptore. — So-

phocles atque Euripides circa hoc tempus vita funeti. Cap. 103 extr.

Ann. 4. Bellum Peloponnesiacum prima cura. Dum Athenienses Cononem et Philoclem cum classe in Hellespontum mittunt, Lacedaemonii, a Persis pecunia sublevati, classem instaurant et augent, Lampsacum capiunt et in Atticam excursiones faciunt. Cap. 104. Pugna navalis ad Aegos flumen, qua Athenienses succumbunt: tota classis vel eversa vel capta. Insuper Attica obsessa, urbi commeatus interclusus. Itaque Athenienses necessitate coacti legatis Spartam missis pacem pacem petunt et impetrant. Pacis conditiones durae. Belli Peloponnesiaci finis. Cap. 105—107.

* Obiter memoratum Darium regem Persarum mortuum esse, eique successisse Artaxerxem: eodem tempore Antimachum poetam clarum fuisse. Cap. 108 pr.

Iam res Siculas repetit. Diruta Agrigentinarum urbe Hamilcar pari calamitate opprimit Gelam. Immanis Carthaginensium feritas describitur. Ideo in ipsum Dionysium, qui defendendis civibus impar erat, tumultum cives faciunt, et eius regiam exspoliant: quo facto Dyonysius caedibus implet Syracusas. Tandem cum spes nulla superesset, Hamilcar victis pacem sponit offert. Pacis conditiones. Finis belli Carthaginensis in Sicilia. Cap. 108—114.

4. *A XXX Tyrannis Atheniensium usque ad Romam a Gallis captam.*

Lib. XIV.

Olymp. XCIV, 1. — XCVIII, 2.

Secus ac propositum erat (lib. XIII, cap. 1) hic prooemio Diodorus utitur, quod quidem admonitionem continet, ex ipso libri argumento ductam et exemplis in eo obviis, praesertim XXX tyrannorum, qui Athenis regnabant, et Dionysii, illustrandam: quo quis celsiore et illustriore loco sit collocatus, tanto magis necesse esse ut is bonam famam et dignitatem virtute comparet et tueatur. Cap. 1. 2. Adiungitur summa rerum enarrantarum.

Olymp. XCIV.

Ann. 1. Primo Graeciam scriptor obit. Athenienses e pacis conditionibus Lacedaemoniorum imperio subiecti reipublicae administrandae rationem mutare coguntur. Iussu Lysandri summa reipublicae XXX viris cum supremo imperio permittitur. Praesidio Lacedaemoniorum freti hi crudelissime regnant. Cap. 3—6.

Deinde res in Sicilia gestas persequitur. Finito bello Carthaginensi oritur acerrimum libertatis et tyrannidis certamen inter Dionysium et Syracusanos. Dionysium, cum urbe inclusus et obsessus in summo periculo de ipsa vita trepidaret, tandem liberant Campani. Cap. 7—9. Postea Lacedaemonii, quorum terra marique imperium erat, quemadmodum per Graeciam constitutis ordinatoribus (*ἀρμοστᾶις*) singularum civitatum statum et magistratus ex arbitrio suo ordinaverant, ita in Sicilia quoque misso Aristo¹⁾ Syracusanis libertatem ademerunt, et Dionysium in principatu confirmarunt. Cap. 10.

* Alcibiades a Pharnabazo per insidias occiditur. — Democritus philosophus vita defungitur.

** In Italia Volsci praesidium Romanum Verrugine capiunt. Cap. 11.

Ann. 2. Lacedaemonii Byzantium etiam mittunt Clearchum, qui rempublicam, internis seditionibus et bello externo cum Thracibus turbatam, ordinaret. Ille vero regnum affectat. Quamobrem Lacedaemonii bello eum coercent; quo facto in Asiam ad Cyrum confugit. Cap. 12. Similiter in ipsa republica Lacedaemoniorum Lysander, per quem omnia terra marique gesta erant, imperio abuti ausus est. Nam de abrogando Heraclidis imperio regio vulgandaque regia dignitate consilia iniit. Vana autem eius erant consilia. Cap. 13.

In Sicilia Dionysius, firmato principatu, reliquas civitates sub potestatem suam redigit. Cap. 14—16.

** Commemoratur bellum Romanorum in Veios et Volscos. Stipendium Romani tum primum militibus decreverunt.

Ann. 3. In Graecia seditio inter Oropios in Boeotia a

¹⁾ Infra cap. 70 hic *Aretas* appellatur.

Thebanis sedata: simul bellum Lacedaemoniorum in Elidem ob factas iniurias. Cap. 17.

In Sicilia Dionysius, satis firmato imperio, bellum molitur in Carthaginienses, et ideo Syracusas mira celeritate novis moenibus cingit. Cap. 18.

Ann. 4. Suscipit Cyrus, satrapa in maritimis regionibus, bellum in fratrem Artaxerxem, iam diu ante animo destinatum. Lacedaemonii belli societatem ineunt et copias auxiliares mittunt. Belli historia. — Cyrus proelio cadit. Cap. 19—24. Eius mors ingentem trepidationem facit. Reditus Graecorum inter continua pericula, inter molestias ingentes. Cap. 25—31. Graeci quidem proximo demum anno Ol. 95, 1, in patriam evaserunt; sed id proprium Diodoro, ut aliquid de subtilitate chronologica remittat, si rei integrae historiam pertexere liceat.

Inde res Atticas repetit Diodorus. Triginta tyranni caede et exilio persequuntur cives. Eorum vindices exurgunt Thebani, uni exsulum, Thrasybulo, traditis copiis. Cum primum hic pugna commissa Piraeo potitus esset, et urbem oppugnare pararet, XXX tyranni urbe expelluntur. Tum abrogata tyrannide pristinam libertatem recuperant. Cap. 32—33. — Elei cum Lacedaemoniis reconciliantur. Pacatis reliquis Graeciae populis in Messenios Lacedaemonii arma movent, eosque Graecia excedere cogunt. Cap. 34.

** Colonia Romana Velitras missa.

Olymp. XCV.

Ann. 1. A rebus Persicis incipit anni historia. Finito bello Artaxerxes provincias mari adiacentes, quae in fide non mansissent, vindicare et castigare constituit. Mittitur Pharnabazus et Tissaphernes cum exercitu. Tamus Ioniae praefectus in Aegyptum aufugit. Graecae civitates, quamvis deprecantibus Lacedaemoniis, hostili modo opprimuntur. Inde Lacedaemonii pro Graecis civitatibus Persis bellum inferunt, duce Thibrone. Cap. 35—37.

* Dionysius Adranum urbem condit. Archelaus rex Macedoniae moritur: succedit Orestes, mox Aeropus. Athenis Socrates mortis poenam subit. Cap. 37.

Ann. 2. Bellum Lacedaemoniorum pro Graecis civitatibus in Asia contra Persas gestum, misso novo imperatore Dercylida. Tandem, propositis pacis conditionibus, induciae factae. Cap. 38. 39.

In Sicilia novum bellum in Dionysium movetur. Auctores erant Rhegini iunctis exsulibus Syracusanis et Messeniis, veriti crescentem eius potentiam. Sed cum Messenii se ex foedere subducerent, mox pax reconciliata. Cap. 40. Sed Dionysius, ratus nunc maxime opportunum esse ad bellum provocare Carthaginienses, tum pestilentia afflictos, in apparando bello acerrimus erat. Apparatus armorum et navium, qui mirus fuit, describitur. Artificum industria praemiis excitata; tela et machinae bellicae vel primum inventae vel nova arte excultae. Cap. 41—43.

* Vixit hoc tempore Astydamas poeta tragicus.

** Romani a Veientibus fusi.

Ann. 3. Reliquis interea omissis, in rebus Siculis moratur Diodorus. Iam conscribendi militis et sociorum concilian-dorum cura Dionysium occupat. Interponit coniugii duplicis foedus (Rhegini connubium cum opprobrio denegaverant. Conf. infra cap. 107), festos dies, epulas, orationes ad persuadendum compositas, ut fidem Syracusanorum et omnium Siculorum firmet. Illis praeparatis bellum Carthaginiensibus indicit et simul infert. Cap. 44—46.

* Ad hunc annum usque Ctesias historiam Persarum produxit. Philoxenus, Timotheus, Telestes, poetae dithyrambici, Polyidus simul pictor et musicus. Cap. 46 extr.

Ann. 4. Bellum Carthaginiense in Sicilia ut processerit describitur usque ad urbem Motyam a Dionysio oppugnatam, captam et exspoliatam. Cap. 47—53.

* Sophocles iunior, poeta tragicus, Athenis floret. (Senior mortuus Ol. 93, 3.)

Olymp. XCVI.

Ann. 1. Continuata narratio de bello Carthaginiensi. Favet fortuna Carthaginiensibus eorumque imperatori Imilconi. Dionysius in summum discrimen adductus, cum Imileo magna classe ipsum Syracusarum portum occupat, agros vastat, tem-

pla expilat. Cap. 54—62. Quamquam Lacedaemonii classem auxilio mittunt. Cap. 63. Insuper Syracusani, elati victoria, quam absente Dionysio reportarant, defectionem parant, et de abroganda Dionysii tyrannide cogitant. Theodori Syracusani gravissima oratio in Dionysium pro libertate recuperanda. Cap. 64—69. Sed subitam rerum mutationem facit pestilentia, qua Carthaginiensium exercitus correptus et attritus est. Ea opportunitate usus Dionysius hostem terra marique summa vi impugnavit: quo factum ut Carthaginienses ad summam desperationem pervenirent. Imilco veniam clam redeundi in patriam magno pretio redemit; reliqui vel dilapsi sunt fuga vel capti et occisi. Ita finitum bellum Carthaginiense. Cap. 70—76. Carthaginienses autem in ipsa Africa sociorum odio premuntur, et bello etiam infestantur. Cap. 77. — In Sicilia Dionysius firmat principatum, pristinis mercenariis assignato Leontinorum agro in stipendium. Messenii novam urbem exstruunt mox opulentissimam. Cap. 78.

Nunc demum repetuntur gesta Lacedaemoniorum contra Persas in Asia. Namque belli Persici historiam inde ab Ol. 95, 2 (conf. cap. 36—39) omiserat. Quam ob causam res plurium annorum collectas exhibet. Proelio apud Sardes commisso Lacedaemonii, duce Agesilao, victores. Tum pro Tissapherne Persarum rex mittit Tithrausten, qui semestres cum Lacedaemoniis inducias facit. Cap. 79. 80. Eodem tempore bellum Boeoticum inter Phocenses et Boeotos oritur. Cap. 81. — Conon Persicae classis contra Lacedaemonios dux constituitur. Cap. 81 extr.

Ann. 2. Iungit scriptor res duplici bello, tum Boeotico in Graecia, tum Persico in Asia gestas. Lacedaemonii triplici proelio, uno prope Narycem, altero navali ad Cnidum, tertio ad Coroneam hostibus succubuerunt. Ab hoc tempore maris imperio Lacedaemonii privati. Cap. 82—84.

* In Macedonia Aeropus rex moritur: succedit filius Pausanias. — Theopompus Chius historiam Graecam hoc anno, et pugna quidem ad Cnidum finit. Cap. 84 extr.

Ann. 3. Conon, Persicae classis praetor, ob resectos Piraei muros in crimen venit. Cap. 85. — In Graecia bellum Corinthiacum oritur, deinceps per VIII annos gestum. Cap. 86.

— In Sicilia Rhegini ob Messanam in ipsos munitam (conf. supra cap. 78) bellum contra Dionysium movent. Dionysius in angustiis. Cap. 87. 88.

* Pausanias rex Lacedaemoniorum in exilium mittitur. — Pausaniam regem Macedoniae per insidias occidit Amyntas, et ipse regno potitur. Cap. 89.

Ann. 4. Primo in rebus Siculis manet Diodorus. Plura premunt Dionysium. Mago renovat bellum Carthaginiense. Hunc autem ille proelio vincit. Tum vero ex improvise in Rheginos navigat. Cap. 90. Eo impetu territi vicini Italiae populi icto foedere se ad commune bellum simul in Dionysium, simul in Lucanos, ipsis infestos, obstringunt. Cap. 91 pr.

Bellum Corinthiacum in Graecia continuatum. Cap. 91. 92 pr. (Vid. cap. 86.)

* In Macedonia Amyntas ab Illyriis regno expulsus; mox a Thessalis restitutus. — Satyrus rex Bosphori moritur: succedit Leuco eius filius.

** In Italia Romani de Veientibus triumphant et Apollini Delphos mittunt cratera, a praedonibus Liparensibus interceptum, sed a Timasitheo redditum. Cap. 92 extr. et 93.

Olymp. XC VII.

Ann. 1. Atheniensium classis XXIII triremium, duce Thrasibulo, in Ioniam, Chersonesum, Lesbum, Rhodum, missa. Cap. 94.

Renovant Carthaginienses bellum in Sicilia, Magone imperatore; quod quidem brevissimum erat. Omni enim comiteu exclusi ultro pacem petunt. Siculi Dionysio subiecti cum Tauromenio. Cap. 95. 96.

Ann. 2. Res Graecorum modo in Asia modo in Graecia gestae succedunt. In insula Rhodo factio Lacedaemoniorum superior: unde imperium maris recuperare annituntur. Simul in Graecia Argivorum agros incursant et vastant, dum hi Corintho imminet. Cap. 97. Insulam Cyprum Artaxerxes rex Persarum contra Euagoram, qui Abdemonem, regis Persici amicum, imperio expulerat, vindicare et vi subigere statuit, partim quia Euagorae potentiam sibi fraudi futuram putabat.

partim ratus Cyprum ad defendendam Asiam maxime opportunam esse. Itaque bellum parat. Cap. 98.

** Romani, pace cum Faliscis facta, bellum cum Aequis gerunt. Cap. 98 extr.

Ann. 3. Res Graecorum in Asia ulterius persequitur Diodorus. Strutha imperator copiarum Persicarum exercitum Lacedaemoniorum fundit, Thibrone eius imperatore occiso. — Thrasybulus Atheniensium dux apud Aspendum in Paphlagonia per insidias cadit; classis aufugit. Cap. 99.

Séquuntur res in Sicilia gestae. Dionysius, id agens ut universam Siciliam et proximam Italiae partem suo imperio subiiceret, consultum duxit primo Rheginos bello subigere. Sed advectus classe repellitur. Interea societatem cum Lucanis iungit. Lucanorum bellum in Thurios et omnino Graecas per Italiam civitates (conf. cap. 91), invito Dionysio, ab eius fratre Leptine compositum. Cap. 100—102.

** Romani dividunt agrum Veientanum. Bellum cum Aequis, Veliternis. Circeios deducta colonia. Cap. 102 extr.

Ann. 4. Iteratum Dionysii bellum in Italos. Victi cum reliquis Graecis Rhegini. Cap. 103—106. (De Rheginis vid. supra cap. 44.)

** Romani ob Aequos victos edunt ludos. Cap. 106 extr.

Olymp. XCVIII.

Ann. 1. Amplius Dionysius urget Italos. Locris indulget ob concessum connubium (conf. cap. 44); sed Rheginis ob datam repulsam (vid. l. c.) tanto infestior. Attamen duce Phytone hi fortissime restiterunt. Cap. 107, 108. In ipso bello vanus Dionysius carmina sua et rhapsodos cum apparatu maximo ad ludos Olympiacos mittit. Sed ludibrio erat. Cap. 109.

** Romanorum in Volsinienses bellum commemoratur. Cap. 109 extr.

Ann. 2. Iam ad diuturnum Lacedaemoniorum bellum in Asia contra Persas gestum revertitur Diodorus, ab Ol. 97, 3, non commemoratum. Bello fracti Lacedaemonii misso Antalcida pacem cum Artaxerxe faciunt sub conditionibus iniquissimis. Cap. 110.

Inde in Siciliam se recipit historicus, res Dionysii ulte-

rius persecuturus. Rhegini diuturna obsidione coacti tyranni se subiiciunt potestati. Phytonis eorum imperatoris dirum supplicium. Cap. 111. 112.

** Illic quidem locus atque hoc tempus admonuit Diodorum ut rei, quamvis a principum populorum historia alienae, quae tamen maioris momenti videbatur, mentionem amplio-rem iniiceret. Scilicet tum Senones, Gallorum populus, ulterius in Italiam progressi, Romam ceperunt. Ac rerum Romanarum haec prima narratio plenior et exactior, cum res ad Romanos pertinentes ante non nisi obiter et paucis verbis annotasset. In re maxime trepida a Volscis etiam bello premuntur. Sed Marcus Furius dictator eos debellat, mox etiam Aequos et Ietruscos. E proposito Diodori pax Graecorum cum Artaxerxe, et Roma a Gallis capta, huic libro finem imponunt. Cap. 113 — 117.

* Callisthenes rerum Graecarum historiam ab hoc anno exorsus est. Cap. 117 extr.

5. *A bello Artaxerxis R. Pers. in Cyprum eiusque regem Euagoram usque ad Philippum R. Maced.*

Lib. XV.

Olymp. XCVIII, 3. — CIV, 4.

Prooemium neque hic omis- sum. Eo autem iudicandi libertatem Diodorus tum omnino ad historiam requirit et maxime commendat, quippe quae laudem promeritam imper- tiendo bonos ad res porro praeclare agendas excitare, vituperando vero malos a suscipiendis facinoribus deter- rere possit; tum hoc libro ea ad Lacedaemonios castigan- dos se usurum esse pronuntiat, qui quidem imperium maiorum virtute partum suis vitiis perdidissent. — Periodi initium et finem indicat. Cap. 1.

Ann. 3. Belli regis Persarum in Cyprum, iam diu ante destinati,¹⁾ apparatus et initium. Pedestribus copiis Euagoras, navalibus Tiribazus²⁾ praest. Euagoras, navali proelio

1) Vid. supra Ol. XCVII, an. 2. lib. XIV, c. 98.

2) Quamquam rei navali s. Glos c. 3. praefuisse dicitur.

superatus, cum Persae Salaminem oppugnarent, in Aegyptum confugit, nova auxilia petens. Cap. 2—4.

A Persis itur ad Graecos Lacedaemonii, quos pacis iniquae poenituit, contra foedus, civitates Graecas, in libertatem vindicatas, imperio suo subiicere conantur, quo novum bellum suscitant. Cap. 5.

Annum cursum finit Sicilia. Dionysius diuturno otio languens carminibus certat cum poetis. Philoxenus poeta et Plato philosophus in invidiam veniunt. Ob carmina in ludis Olympiacis recitata, et sicut olim (lib. XIV, cap. 109) sibilo excepta, in furorem et insaniam incidit. Cap. 6. 7.

Ann. 4. Primo narratio de bello Cyprio continuatur. Euagoras redux ex Aegypto, cum acceptae pecuniae non sufficienterent, pacem petit, et favente altero duce Persarum, Oronte, aequis conditionibus imperat. Ita finitum bellum. Tiribazus et Orontes rei. Glos Tiribazi gener iniuriam ulturus Aegyptios et Lacedaemonios ad bellum in regem Persarum excitat. Cap. 8—11.

In Graecia Lacedaemonii, bello occupati in ceteras civitates, Mantineam obsidione ad deditioem cogunt. Cap. 12.

In Sicilia Dionysius urbes maritimas condere parat, imperium maris Ionii occupaturus, et expeditionem in Epirum atque ad templum Delphicum expilandum mox suscepturus. Illyrii socii, eius copiis adiuti, in Epirum movent ad reducendum in regnum Alcetam, tum Syracusis exsulem, Molossosque proelio fundunt; his autem Lacedaemonii auxilio veniunt. Tum etiam Pharus, adjuvante Dionysio, a Paris condita. Navalibus, novis moenibus, templis, Syracusae augentur et exornantur. Cap. 13.

Olymp. XCIX.

Ann. 1. Illyriorum repentinus impetus in Pharam insulam, mox propulsatus. Dionysius, exspoliato templo in Hetruria, de pecunia e spoliis coacta novum in Carthaginenses bellum molitur. Cap. 14.

Ann. 2. Bellum Dionysii cum Carthaginensibus. Causam prae buerat Dionysius eo quod civitates a Carthaginensibus deficientes in fidem recepit. Pax tandem pecunia redempta. Cap. 15—17.

In Asia res tranquillae mansere. Nullum ab Aegyptiis et Lacedaemoniis bellum ortum, Glo¹⁾ clam occiso. Controversiae Clazomeniorum et Cumaeorum de nova urbe Leuca sine bello compositae. Cap. 18.

In Graecia Lacedaemonii omnia consilia ad civitates contra inita pacta subigendas convertunt, eo ipso tempore quo Amyntae regi Macedoniae auxilia mittunt, cum is Olynthiis bellum inferret. Sed regum Lacedaemoniorum de bello Graecis inferendo contrariae erant sententiae. Cap. 19.

Ann. 3. Bellum in Olynthios, sociis Lacedaemoniis, continuatum. Eo occupati Lacedaemonii per insidias Cadmeam, Thebarum arcem, capiunt. Cap. 20. 21.

Ann. 4. Urgent Lacedaemonii bellum in Olynthios, duce Agesipoli, rege. Cap. 22.

Olymp. C.

Ann. 1. Tandem, mortuo Agesipoli, imperium suscipit Polybiadas, qui Olynthios debellat. Tum inter omnes Graeciae civitates Lacedaemonii potentia eminebant. Cap. 23.

Ann. 2. Carthaginenses conciliandis sociis rebus futuris prospiciunt. Quamvis pestilentia malisque aliis, internis etiam bellis oppressi, tamen pacem in Africa restituunt, et Sardiniam subigunt. Cap. 24.

Ann. 3. In Graecia bellum Boeoticum oritur, a Thebanis exsilibus ob captam a Lacedaemoniis Cadmeam concitatum. Cap. 25—27.

** Romani Sardoniam (?) mittunt coloniam. Cap. 27 extr.

Ann. 4. Bellum Boeoticum continuatum. — (Inter haec Acoris rex Aegypti bellum infert Persis, duce Chabria Atheniensi, quem Athenienses, ut Persis gratificentur, revocant. Cap. 29.) Athenienses in suas partes trahunt plurimas civitates; pugna etiam navali inter Naxum et Parum commissa sunt superiores. Cap. 28—35.

** Romae M. Manlius capitis damnatus. Cap. 35 extr.

Olymp. CI.

Ann. 1. Incidit interea aliud bellum in Thracia, inter

¹⁾ Conf. supra cap. 9.

Triballos et Abderitas, a sociis desertos et paene confectos. His Athenienses auxilio mittunt Chabriam, et hoc occiso Timotheum, qui novos conciliat socios, in his Alcetam regem Molossorum, et Lacedaemonios apud Leucadem pugna navali fundit. Cap. 36. Thebani quoque proelio eos vincunt. Cap. 37.

Ann. 2. Suasore Artaxerxe rege Persarum, qui bellum in regem Aegyptiorum agitabat, et ad hoc a Graecis copias requirebat, reliquae Graecae civitates pacem faciunt; soli Thebani in bello perseverant. Mox novae turbae in singulis civitatibus. Cap. 38—40.

Ann. 3. Persarum bellum in Aegyptum, Pharnabazo et Iphicrate Atheniensi ducibus. Natura regionis, exstructa in Nili ostiis munimenta, et ducum dissidia rem irritam reddunt. Iphicratis vero ingenium et in re militari inventa celebrantur. Cap. 41—44.

In Graecia in singulis civitatibus turbae et seditiones. Interea Thebani bello infestant omnia. Cap. 45—47.

* In Cypro, per insidias occiso Euagora, Nicocles regno potitur. In Italia Romani Praenestinos proelio subigunt. Cap. 47 extr.

Ann. 4. Durante bello summa consternatio in Graecia ob terrae motus, inundationes, calamitates alias. Haec violatis sacris et ingentibus cavernis subterraneis in Peloponneso tribuuntur. Cap. 48. 49.

Olymp. CII.

Ann. 1. Fax in coelo prodigii instar terrorem iniicit. Iam Artaxerxes iterum pacem inter Graecos restituere conatur, eamque componit. Pacis foedere iunguntur omnes praeter Thebanos, quos Lacedaemonii ideo, ut communes hostes, bello prosequendos censent. Cap. 50.

Ann. 2. Inde bellum Thebanum. — Pugna apud Leuctra victores Thebani, duce Epaminonda. Cap. 51—56.

Ann. 3. Thebani, amicorum numero aucto, potentiam firmant. In Graecis civitatibus tumultus frequentes. Thessali, hortatore et duce Iasone Pheraeo, de imperio Graecorum concertant. Cap. 57—60.

* Eodem anno tres moriuntur principes: Iason Pheraeus,

Amyntas, rex Macedoniae, cui succedit Alexander fil., Agesipolis rex Lacedaemoniorum. — Duris Samius ab hoc anno historiam Graeciae scribere incipit. Cap. 60 extr.

Ann. 4. Res Graecorum solae paene omnia occupant. In Thessalia ob Polydori Pheraei superbiam res turbulenta. Cap. 61. In Peloponneso Arcades Thebanis iuncti urgent Lacedaemonios, qui nunc Athenienses in auxilium vocant. Messene, Epaminonda suasore, ab Arcadibus instaurata et munita. (Cuius ipsius urbis fata, per modum episodii, a primo initio repetuntur. Cap. 66.) Ingravescente bello Dionysius Lacedaemoniis auxilia mittit: Artaxerxes vero rex Persarum nova legatione Graecos placare et pacem communem reconciliare studet; sed obstant pertinaciter Thebani. Cap. 62—70.

Sicyonem tum Euphron tyrannide occupavit. Cap. 70 extr.

Olymp. CIII.

Ann. 1. In Macedonia Alexander dolo interemptus: successor Ptolemaeus Alorites. (conf. c. 60.) Epaminondae abrogatum imperium Boeotorum, quod interea Pelopidas, Ismenia assumpto socio, suscepit; mox redditum. Pelopidas per fraudem captus ab Alexandro Pheraco. Nec multo post Lacedaemonii proelio vincunt Arcades: quo facto hi, ut hostem arceant, Megalopolin condunt. Cap. 71. 72.

In Sicilia Dionysius, tum maxime opportunum ratus, in Carthaginienses, peste afflictos et ad bellum haud praeparatos, bellum redintegrat, eorumque agros invadit. Mox morte abripitur. Succedit Dionysius iunior. Cap. 73. 74.

Ann. 2. Ultra quae in Graecia infestis armis gesta sint promiscue annotantur. Alexandri Pheraei feritas et immanitas in Scotussaeos in Thessalia. Epaminondas quae gesserit in Peloponneso. Pelopidas liberatur. (Conf. c. 71.) Chares Atheniensis Phliasios contra Argivos defendit, duobus proeliis hos vincens. Cap. 75.

Ann. 3. Athenienses recuperant Oropum, a Themisone Eretriae tyranno occupatam. Coi urbem condunt, civium frequentia et aedium splendore mox celebrem. Nova legatione Artaxerxes, et nunc quidem meliori successu, Graecos ad pacem communem adhortatur, quae tandem accepta est ab omni-

Ius. Ita post V annos¹⁾ finitum bellum Laconicum et Boeoticum, ortum in Thebanos, ut communes hostes, inde ab Ol. 102, an. 1; quo anno reliquae civitates Graecae de pace convenerant. (Vid. supra c. 51—56.) Ceterum Diodorus iure reprehendendus, quod pacis condiciones nullas omnino commemoravit. Initium belli signavit pugna ad Leuctra. Cap. 76.

* Additur index virorum ingenio et doctrina tum clarorum. Isocrates cum discipulis, Aristoteles, Anaximenes Lampsaenus, Plato, Pythagoreorum novissimi, Xenophon, Aristippus, Antisthenes, Aeschines Socraticus. Cap. 76 extr.

Ann. 4. Pacata universa Graecia, disceptatio inter Arcades et Eleos de Triphylia diu agitata novum bellum parit. Arcadam socii Athenienses. Cap. 77.

* In Macedonia rex Ptolemaeus Alorites per insidias occisus. Succedit Perdicas. Cap. 77 extr.

Olymp. CIV.

Ann. 1. Ius habendi ludos Olympicos in disceptationem venit inter Pisaeos et Eleos. Pisaei, in auxilium adhibitis Arcadibus, Eleorum hostibus, bellum inferunt Eleis Olympia iam exorsis, ipsique victoria potiti suis auspiciis celebrant ludos. — Aliud bellum moliuntur Thebani, ab Epaminonda inflammati ad occupandum imperium maris. Classem instruunt, socios invitant. Sed Epaminondae immatura mors conatus intercepit. (Vid. infra c. 87.) Cap. 78. Interea iidem Orchomenios, quibus ob tributum olim solutum infesti erant, (vid. supra lib. IV, c. 10.) bello opprimunt, urbem capiunt, et incolas caede prosternunt. Cap. 79. — Iidem a Thessalis in auxilium vocati, contra Alexandrum Pheracum, quocum hi bellum gerebant, Pelopidam cum copiis mittunt, qui proelio quidem hostem vicit, sed ipse e vulnere accepto mortuus est. Inseritur Pelopidae encomium. Cap. 80. 81. — Clearchus tum Heraclaeam, urbem Ponti, eamque patriam, in servitutem redegit. — Timotheus Atheniensium imperator Toronem et Potidaeam cepit, et Cyzicenis auxilio venit. Cap. 81.²⁾

¹⁾ Si scilicet a Leuctrica pugna numerentur. Conf. cap. 50, 51 sqq.

²⁾ Quae hic relata legis, si abrupta nulloque nexu reli-

Ann. 2. Bellum parvum duarum civitatum, Pisaeorum et Eleorum, proximo anno ortum, (vid. c. 78.) mox vulgatur et totius Graeciae commune fit. Duae Arcadum factiones erant, Tegeatae et Mantinenses. Cum illis faciebant Boeoti duce Epaminonda; cum his Athenienses et Lacedaemonii. Ad proelium ventum apud Mantineam. Victores Boeoti, imperatore tamen Epaminonda caeso, cuius adiungitur encomium. Cap. 82—88. Inde pax facta et foedus¹⁾ commune inter omnes Graecos ictum est, exceptis Lacedaemoniis, qui Messenios odio habebant. Cap. 89.

* Adiicitur notitia historicorum huius aevi: Xenophontis, Anaximenis, Philisti. Cap. 89 extr.

Ann. 3. Pace facta in Graecia novum idque maximum bellum exardescit in Artaxerxem regem Persarum. Erat bellum hostium multorum in unum, simul intestinum atque civile, simul externum. Defecerant provinciae maritimae cum satrapis nonnullis ducibusque copiarum Persicarum: belli socii erant Tachos rex Aegyptiorum, Lacedaemonii, ob Messenios, regis iussu communi Graecorum foederi adscriptos, regi infensi; accedebant Syri, Phoenices, alii. Cap. 90—92. Interea Artaxerxes moritur, cui succedit Ochus. Tachos, proditione eius, cui regnum administrandum mandaverat, regno privatus, Agesilai, Spartani, qui praeerat exercitui eius, prudentia ac virtute, Aegyptum²⁾ recipit. Cap. 93.

quae historiae iuncta deprehendis, ipsaque tam imperfecte tradita indigneris, ut quae bellorum causa fuerit intelligi nequeat, memineris Diodorum in rebus minutis, quae ad civitates singulares, neque ad populos universos pertinere videantur, chronographi potius quam historici personam agere, atque eiusmodi res verbo magis notare quam copiosa oratione describere solere.

¹⁾ In vitiis historici iam alibi observatum est, quod in nuda pacis commemoratione saepe acquiescit, nullas vero pacis foederumque condiciones affert. Hic locus eodem defectu laborat. Unam quidem foederis conditionem postea cap. 94, aliud agens et obiter commemorat. Sed omnes ac singulas debet referre.

²⁾ Narrationem de huius belli exitu imperfectam reliquit Diodorus. Nam quomodo res compositae fuerint, mortuo Artaxerxe, utrum armis decertantes sponte ea abiecerint, an

Inde res Graecorum repetit Diodorus. Proximo post pacem compositam anno novae turbæ inter Arcades oriuntur. Megalopolitani pristinas sedes (conf. c. 72.) recuperare nituntur. Advocati Athenienses tumultum comprimunt. Cap. 94.

* Addita mentio Athanae, historici rerum Sicularum. Cap. 94 extr.

Ann. 4. Alexander Pheræus etiam infestam reddit Graeciam deprædando Cyclades. Adversum eunt Athenienses, sed vincuntur. Cap. 95.

* Dionysodorus et Anaxis, scriptores Boeoti, historiam rerum Graecarum usque ad hoc tempus perduxerunt.

Periodi II

Sectio III.

Aevum Philippi R. Macedoniae.

Lib. XVI.

Olymp. CV, 1. — CXI, 1.

Prooemio Diodorus contra semet ipsum, eamque operis rationem, quam in reliquis libris secutus est, disputat. Contrariam enim historiae methodum approbat atque laudat, qua civitatum regumque res gestae non divulsae sed integrae, non per partes seu fragmenta, sed ab initio usque ad finem continuæ perscribantur: quo quidem modo putat res mente rectius perspicere et memoria facilius teneri posse. Deinde gaudet sibi eius rei experiundae in vita rebusque gestis Philippi regis Macedoniae nunc occasionem¹⁾ oblatam esse. Pronun-

certis conditionibus pactoque in gratiam redierint, omisit tradere. Sed obvia sunt plura rerum gestarum exempla, quas velut in medio cursu destituit, de quarum progressu et eventu deinde silet.

¹⁾ Ne tamen ex his verbis colligas hinc scriptorem operis aliud consilium rerumque tradendarum alium ordinem esse initurum. Quamquam enim Diodorus in huius libri exordio utique de methodo rebus historicis tradendis aptiore ita disserit, ut repudiata, qua in praecedentibus libris usus est, ratione, novam secuturus videatur, tamen in pristino instituto perseverat. Vicibus alternant res Macedoniae et res aliorum re-

tiat itaque se uno libro eius regis gesta complexurum esse. Vitae huius regis momenta praecipua notantur. Cap. 1.

Olymp. CV.

Ann. 1. Philippi pueritia Thebis culta. Patre Amynta fratribusque natu maioribus vita defunctis, Thebis, ubi obses tenebatur, in patriam aufugit, et regni paterni curam suscepit. Prima certamina in hostes regnique aemulos, et quibus modis Macedones conciliaverit et a desperatione ad spem revocaverit, disciplina vero, exercitatione, institutis, in re tactica novis inventis imperium auxerit et confirmaverit. Proelio apud Methonem in Mantiam et Argaeum primo victor. Cap. 2. 3.

* Theopompus Chius ab hoc anno rerum Philippicarum historiam exorsus. Cap. 3 extr.

Ann. 2. Continuantur res Macedonicae. Philippus prudenter de iure in Amphipolin cedebat, ut ne Athenienses porro hostes haberet. Eo bello liberatus Paeones vi sub potestatem suam redegit, Illyrios bello vicit et ad reddendas urbes Macedonicas coegit. Cap. 4.

Interponuntur¹⁾ res Siculae. Dionysius iunior Syracusarum tyrannus ignavia languescit; eius regnum vilescit. Cap. 5.

Ann. 3. Dion Syracusanus, Dionysii maioris alterius uxorum,

sicut antea; singulae res gestae annis sunt intercisae, sicut antea; in ipso annuo cursu est orbis quidam regnorum et rerumpublicarum, sicut antea; ne multis, nihil quidquam mutatum, nihil novum aut singulare deprehendimus, nisi quod hic liber totam Philippi vitam complectitur, a Philippo incipit et in Philippo desinit.

¹⁾ Iam supra observatum est eam esse historiae catholicae Diodori rationem, ut principum populorum res tanquam operis fundamentum sint et columnarum instar temporum intervalla designent. A Philippo inde res Macedonum, prius leviter et raro commemoratae, eam dignitatem sunt consecutae, ut principem locum in hoc opere historico possent occupare, iisque res memorabiles minorum regnorum annexerentur. Id patet ipsa transeundi formula, qua Diodorus usus est: *Postquam res Macedonicas et Illyricas persecuti sumus, ad alius generis res (πρὸς τὰς ἑτερογενεῖς πράξεις) transeamus.*

ris, quae Hipparini filia erat, frater, ob ingenium et animum iuniori Dionysio suspectus, clam in Peloponnesum aufugit, et bellum in eum parat. Cap. 6.

Res coevae Graecae referuntur: Tauromenium, urbs in insula Naxo, condita. In insula Euboea bellum inter duas factiones mox compositum. Quo finito bellum sociale oritur, ab Atheniensibus in Chios, Rhodios, Coos, Byzantios gestum, ut socios, qui defecerant. Erat hoc bellum triennale. (conf. c. 21.) Cap. 7.

In Macedonia rex Philippus Amphipolitanos in potestatem redigit, mox Pydnam etiam et Potidacam. Crenides amplificatae et Philippi dictae: ex aurifodinis huius regionis magnae opes. Cap. 8.

Ann. 4. Inde in Siciliam Diodorus lectores ducit, eosque singulari exordio in admirationem rapit, quod Dion, Dionysium bello impugnans, primo exiguis copiis instructus, maximum Europae imperium in extremum adduxit discrimen. Bellum ipsum. Dionysius proelio victus pacem petit, sed principatu abire recusat. Cap. 9—13.

Res coevae Graecae: Alexander Pheraeus a coniuge et fratribus occisus, qui ipsi tyrannidem occupant. Aleuadae, et inprimis Philippus, rex Macedoniae, ab his advocatus, Thessalos in libertatem vindicant, qui deinde perpetui Philippi socii sunt. Cap. 14.

* Scriptores rerum Graecarum huius aevi commemorantur: Demophilus, Callisthenes, Diyllus. Cap. 14 extr.

Olymp. CVI.

Ann. 1. In Italia novus populus Bruttiorum oritur, c. 15, dum bellum Dionis in Dionysium in Sicilia acerrime urgetur. Dionysius proelio victus, tandem, abrogato principatu, Sicilia abire cogitur. Postea novos tumultus Syracusis excitant mercenarii, quibus etiam Dionysius classem duce Nypsio auxilio mittit. Dion, offensus a Syracusanis, cum exercitu suo Leontium discesserat. Iam revocatus Syracusas ultro ab interitu vindicat, civiumque omnium gratiam et summum imperium consequitur. Cap. 16—20.

In Graecia Athenienses in bello sociali occupati. (Conf. c. 7.)

Chares, cui imperium mandatum erat, Artabazo, qui tum a rege Persarum defecerat, inconsulte auxilio venerat. Quamobrem regis iram veriti, pace¹⁾ facta, bello sociali finem imponunt. Cap. 21. 22.

In Philippum regem Macedoniae hoc tempore tres finitimi reges, Thracum, Paconum, Illyriorum, simul bellum consociaverant; sed Philippus, bello ante occupato, omnes subegit. Cap. 22.

Ann. 2. Inde vero res Graecae principem locum occupant, et Macedonicas velut praecurrunt. Conflatur in Graecia bellum sacrum, quod decem²⁾ annos duravit. Belli causae et annus primus. Phocensium imperator Philomelus vi cogit Pythiam ut de bello suscipiendo oraculum edat. Inde excursus de oraculi Delphici origine. (Cap. 26.) Athenienses, Lacedaemonii, Thebani, ad societatem iungendam invitantur. Boeoti et Locrenses contra pugnant. Cap. 23—27.

Ann. 3. Belli sacri annus 2. Ad Phaedriadas petras Philomelus proelio victor. Utriusque partis socii recensentur. Phocenses deinde in angustias adacti gravem accipiunt cladem; Philomelus vero, quo confugeret non habens, de saxo se praecipitem dedit. In eius locum successit Onomarchus. Cap. 28—31.

Philippus eodem tempore Methonem et Pagas expugnat. Cap. 31.

* Annotata synchronistica: Leucon Bospori rex moritur: succedit Spartacus filius.

** Romani in Faliscos bellum gerunt.

* In Sicilia, Dione a mercenariis occiso, Callippus imperium suscipit. Cap. 31.

Ann. 4. Belli sacri annus 3. Onomarchus renovat bellum, hostium agros populatur, multasque urbes capit. Cap. 32. 33.

In Asia Artabazus perseverat in bello contra regem Per-

¹⁾ De pacis conditionibus, ut alibi, silet Diodorus.

²⁾ Conf. cap. 59, 60, et ad eum locum Wesselingii annotationem.

sarum, acceptisque Thebanorum auxiliis duobus proeliis regios vincit. Cap. 34.

In Graecia Argivorum in Lacedaemonios bellum, causa non indicata. Cap. 34.

Athenienses Charete duce ad Hellespontum urbem Sestum capiunt: iisdem Cersobleptes urbes Chersonesi concedit; qua re permotus Philippus Methonem vi expugnat, in cuius urbis expugnatione teli iactu altero oculo privatur. Cap. 34. Post haec Philippus, vocatus a Thessalis, bellum commune in Lycophronem Pheraeorum tyrannum et Phocenses horumque ducem Onomarchum gerit. Onomarchus aliquot proeliis victor, tandem ultimo proelio capitur et cruci affigitur. Phocensium imperium Phayllo eius fratri mandatur, qui omni vi bellum instaurat. Cap. 35. 36.

* Annotata rerum coevarum: Moritur Mausolus rex Cariae, cui Artemisia succedit; item Clearchus Heracleae tyrannus, in cuius locum substituitur Timotheus filius.

** Romani in Tuscos bellum gerunt,

In Sicilia Callippus, (vid. c. 31.) tumultu orto, principatu excidit, eumque occupat Hipparinus. Cap. 36.

Olymp. CVII.

Ann. 1. Belli sacri in Graecia annus 4. Phayllus, auctus copiis et sociorum auxiliis, Boeotiam invadit, sed iteratis proeliis inferior discedit. Cap. 37. Interea Philippus impeditus ab Atheniensibus, cum in Phocenses tenderet, in regnum rediit. Sed Phayllus ultra progressus Locros Epicnemidios invadit, multasque urbes capit: Boeoti contra Phocensium terras populantur, quos subito impetu Phayllus opprimit. Mox mortuo Phayllo succedit Phalaecus Onomarchi fil. Impuberi adiunctus socius et tutor Mnaseas paullo post proelio occisus. Cap. 38. Lacedaemoniorum in Megalopolitanos bellum, Phalaecus Boeotiam, Boeoti Phocidem vastant. Cap. 39.

Ann. 2. Belli sacri annus 5, levioribus proeliis transactus. Cap. 40.

Iam vero in Asia Artaxerxes rex Persarum bellum in Aegyptios, per aliquot annos intermissum, de novo et maximo quidem apparatu suscipit, iuncto alio bello in Phoenices et in

Cyprum, quae provinciae a rege defecerant. Belli historia. Cap. 40 sqq. Primo bellum in Phoenicem et Cyprum geritur, quam utramque rex subigit. Cap. 40—45.

* Haud multo ante Artemisia vita defuncta; cui Idrieus, eius frater, succedit. In Italia Romani cum Praenestinis et Samnitibus inducias et pacem pacti: in Tarquinienses saevitum. Leptines et Callippus Rhegium a Dionysii iun. tyrannide liberant. Cap. 45 extr.

Ann 3. Perdomita Cypro insula, (vid. c. 42.) bellum transfertur in Aegyptum. Belli historia. Cap. 46—51. Perdomita Aegypto relictoque Pherendate, eius provinciae praeside, rex Babylonem rediit. Cap. 51 extr.

Ann. 4. Inter duces Artaxerxis Mentor virtute rebusque gestis eminebat, insignibus praemis a rege ornatus: qui reliquos etiam, qui defecerant, ad fidem revocat. Cap. 52.

Ex Asia deinde in Europam revertitur Diodorus. Sed paucis tantum verbis, quae gesta sunt, notat. Philippus, rex Macedoniae, interea expeditionem in Thraciam et Thessaliam fecerat. Expugnatae Chalcidicae civitates et Pherae Thessaliae. (Cf. c. 37. 68.) Cap. 52 extr.

* Moritur Spartacus rex Ponti; regnum suscipit Parysades eius frater. Cap. 52 extr.

Olymp. CVIII.

Ann. 1. Redit narratio ad res gestas Philippi. Is ad ulteriora expeditionem intendit, ipsasque urbes ad Hellespontum sitas sub potestatem redigere parat, vi, comitate, pecuniae profusa largitione, proditione usus. Olynthus per proditorem capta excitat Atheniensium invidiam, qui bellum minantur. Sed Philippus sollemnibus ludis, festis, conviviis, liberalitate, omnium animos sibi conciliat. Cap. 53—55.

Ann. 2. Belli sacri annus 9. Boeoti Phocensium agros depopulantur, vicissim hi in Boeotia omnia rapiunt et devastant. Phalaecus, sacrilegii reus, imperium amittit. Severa quaestio de sacrilegis. Ipsi Athenienses et Lacedaemonii impietatis participes. Boeotis Philippus in Phocenses auxilia mittit. Phocensium ingens clades apud Abas. Qui in templum confugerant, cum templo conflaurant. Cap. 56—58.

Ann. 3. Belli sacri annus 10. Phocenses, attenuatis viribus, a Lacedaemoniis nova auxilia impetrant; Bocoti a Philippo, qui magna vi Locridem invadit. Phalaeus, iterum creatus imperator, cum vires impares videt, de pace impetranda paciscitur. Itidem Phocenses sponte subiiciunt. Pacis communis consilia et conditiones. Ita finitum bellum sacrum. Cap. 59. 60. Iam Diodorus, pietatis inculcandae causa, adiungit recensum eorum, qui sacrilegii auctores vel participes fuerunt et tristi fato perierunt. Cap. 61—64.

Inde ad *πράξεις ἐτερογενεῖς* transit. In Sicilia Syracusani, multis factionibus agitati, a Corinthiis, quorum coloni essent, imperatorem expetunt, qui a tyrannis ipsos defendat. Mittitur Timoleon, mox vindex et instaurator rerum Sicularum. Cap. 65.

Ann. 4. Timoleontis adventus in Siciliam; naves, copiae. Quo in statu tum res Siculae fuerint narratur. Instabant scilicet Carthaginenses: horum amicus factus erat Hicetas Syracusarum princeps: Dionysius redierat et pristinum imperium recuperaverat. Cap. 66—68.

Olymp. CIX.

Ann. 1. Contra morem praemittitur rerum coaevarum brevis mentio:

** Romani primum foedus cum Carthaginensibus fecerunt.

* Idrius princeps Cariae moritur: sequitur in principatu Ada coniux et soror. Cap. 69 pr.

In Sicilia Syracusas, per partes occupatas a Dionysio, Hiceta, Timoleonte et Poenis, tandem Timoleon, auctus copiis, totas cepit. Cap. 69.

In Macedonia Philippus in Illyrios, sibi diu infestos, movet, multasque urbes eorum capit; postea Thessalorum urbes a tyrannis liberat, quo omnium favorem sibi conciliavit. Cap. 69.

Ann. 2. Dionysius tandem cogitur abdicare principatum, et Corinthi vitam agere privatam. Quo facto Timoleon Syracusanis democraticam formam novasque leges dedit. Iovis Olympii sacerdotes annuis magistratibus fungebantur. Cap. 70.

Philippus Thraciam, devicto rege Cersoblepte, subigit. Cap. 71.

* De Theopompo Chio obiter commemorat eius opere historico etiam res Siculas traditas esse. Cap. 71 extr. Conf. supra c. 3.

Ann. 3. Mortuo Arymba rege Molossorum, annitente Philippo Macedone, succedit Alexander Olympiadis frater. Cap. 72 pr.

In Sicilia Timoleon Hicetam armis persequitur, Leptinem Engyriorum tyrannum capit et in exsilium mittit, terras Carthaginiensium depraedatur, multasque civitates in fidem recipit. Quibus rebus consternati Carthaginienses alios duces novasque copias in Siciliam mittunt. Cap. 72. 73.

Ann. 4. * Clitarchus Eretriae tyrannus a Philippo constitutus, nunc a Phocione Atheniensi principatu deiectus. — In Caria Ada regno expellitur a Pixodaro fratre. Cap. 74 pr.

Philippus in diuturna Perinthis obsidione et oppugnatione occupatus. Byzantii et Persae obsessis auxilio veniunt. Ideo Philippus partem copiarum ad oppugnandum Byzantium mittit. Cap. 74—76.

Adiecta notitia de Ephoro et Diyllo, rerum tum gestarum scriptoribus. Cap. 76 extr.

Olymp. CX.

Ann. 1. Athenienses Graecorumque alii ob Byzantium obsessum bellum parant in Philippum, quod ut declinet, obsidionem solvit. Cap. 77 pr.

Sed in Sicilia bellum magna contentione geritur. Timoleonti pugnandum erat tum contra milites seditiosos, a Thrasio quodam in eum concitatos, tum contra infestum Carthaginiensium exercitum, novis copiis auctum. Iteratis procliis Timoleon victor. Carthaginienses, aliis insuper malis afflicti, de ipsa Africa pavent et pacem expetunt. Cap. 77—81.

Ann. 2. Thrasium et rebelles milites Timoleon Sicilia exire iubet, Postumium Tyrrhenum piratam domat, Hicetam bello captum obtruncat; tum pacem cum Carthaginiensibus componit. Pacis condiciones. Iam vero universam Siciliam in libertatem vindicat, novis colonis auget, legibus institutisque florentissimam reddit. Cap. 82. 83.

Ann. 3. Tandem revertitur Diodorus ad propositum huius

libri primarium. Philippus, conciliata plurimorum Graeciae populorum amicitia, ut Graeciae imperium consequeretur, consultum duxit Atheniensibus, tum maxime ad bellum imparatis, inopinato bellum inferre. Belli in Athenienses gesti historia et eventus — Pugna ad Chaeroneam in Boeotia victi Athenienses. Cap. 84—88.

* Eadem die et hora proelium commissum in Italia inter Tarentinos et Lucanos, quo Archidamus rex Lacedaemoniorum, qui Tarentinis auxilio venerat, perijt. — Moritur Timotheus Heracleae Ponticae tyrannus, cui succedit Dionysius frater. Cap. 88 extr.

Ann. 4. Victor Philippus ultra intendit animum ad consequendum summum Graeciae imperium. Proponit itaque bellum suo ductu in commoda Graecorum contra Persas ob violata Graecorum templa (conf. lib. XI, c. 28 extr.) suscipiendum. Cap. 89.

In Sicilia vita decessit Timoleon, quem ut parentem lugent et anniversariis festis venerantur. Cap. 90.

* Defunctus hoc anno Ariobarzanes in regno Phrygiae et Cappadociae, succedente Mithridate.

** Apud Romanos Manlius de Latinis et Campanis triumphum egit. Cap. 90 extr.

Olymp. CXI.

Ann. 1. Philippus, a Graecis imperator creatus, bellum in Persas instruit, laetusque honore a Graecis sibi habito, festos dies, convivia, certamina, ludos, celebrat: inter quae gaudia rex a Pausania quodam per insidias occiditur. Cap. 91—95.

Periodi I

Sectio IV.

Aetas Alexandri M.

Lib. XVII.

Olymp. CXI, 2. — CXIV, 1.

Prooemio Diodorus aevum resque gestas Alexandri M. velut fundum novae periodi constituit, laetaturque eminere

nunc prae ceteris regnum aliquod et principem aliquem, ad quem, tanquam ad caput, regnorum et civitatum aliarum res memorabiles referantur, et a quo singulare temporis spatium certis finibus circumscribi ac signari, huiusque initium et finis metarum seu epocharum instar esse possit; ratus id memoriae eximio esse adiumento. Imperio et victoriis Alexander implevit XII annorum spatium. Cap. 1.

Id vero singulare deprehendimus in hoc libro, quod scriptor, contra ea, quae in prooemio erant promissa, quaeque totius operis ratio requirebat, in sola Alexandri M. historia substitit, eiusdem autem aetatis aliorum regnorum, principum et rerumpublicarum, etiam ad memoriam insignium, si neque bellorum socii, neque hostes Alexandri fuerint, omnem mentionem exclusit. Absunt itaque *αἱ συνεχεῖς πράξεις*, absunt τὰ ἅμα τούτοις συντελεσθέντα, quamvis prooemio commemorata et annuntiata. [V. praef. ad vol. 2. p. III s.]

Ceterum hic liber in codicibus in duas partes solet describi, quam partitionem deinde Diodori editores in suis exemplis secuti sunt. In ipso opere cum nullum eius vestigium exstet, verosimile est eam a grammaticis et librariis esse factam. Divortium facit proelium ad Arbela, quo Darius victus est, cap. 64.

Pars prior.

Ann. 2. Prima cura Alexandri ulciscendi caedem parentis et ei iusta faciendi; proxima ordinandi et firmandi regnum, conciliato omnium amore, confirmata sociorum fide, praesertim Graecorum, milite crebra exercitatione occupato. In Attalum, regni aemulum, secreta mandata dedit Hecataeo, amico fido. Cap. 2. Cum nihilominus multi populi ipsique Graeci ab eo abalienarentur, omnes vel humanitate reconciliavit, vel vi subegit, ac singulari prudentia effecit ut Graeci eum summum imperatorem crearent, eique bellum in Persas gerendum committerent. Cap. 3. 4.

Descripto statu Graeciae sequuntur res in Asia gestae. Attalum, qui militem ad seditionem moverat, Hecataeus clam de medio tollit. Inde Diodorus narrationem statim transfert ad bellum Persicum. Inseritur narratio episodica de greum

Persicorum historia ab Ocho repetita. Cap. 5. 6. Darius, consiliis et coeptis Alexandri, quem ob aetatem despexerat, perculsus, intentiore animo bellum Philippi morte interceptum parat, classem instruit, copias cogit, duces deligit. Memnon Rhodius cum exercitu Cyzicum petit. Referuntur nonnulla de Ida monte, per quem transeundum erat. Parmenio Grynium capit et Pitaneum oppugnat. Callas in Troade impar cum Persis congressus, Rhoeteum se recipit. Cap. 7.

Rex ipse expeditionem suscipit in gentes plures tumultuantes in Thracia, Paeonia, et Illyrico, maxime autem in Thebanos in ipsum contumaces. Urbis obsidio, expugnatio, excidium horrendum dictu. Cap. 8—14. Post haec ut in concitatores seditionum animadverteret, ab Atheniensibus postulavit ut Demosthenem et Lycurgum traderent. Intercessit Demades. Cap. 15. Redux ab expeditione consilia de bello in Persas accelerando confert cum ducibus, reiecta matrimonii cura, ad quod ante ineundum amici adhortati erant. Sacra et convivia ob instantem profectionem celebrantur. Cap. 16.

Ann. 3. Alexander traicit exercitum in Asiam. Recensus copiarum. Laeta omnia in Troade. Persae obviam facti in Phrygia, non audito Memnone, qui bellum in Macedoniam transferre suadebat, pugnam decernunt. Proelium ad Granicum et regis certamen singulare cum Spithrobate. Persae victi et in fugam acti. Cap. 17—21. Deinde Alexander ulterius hostes persecutus Miletum, quo cum Memnone confugerant, oppugnavit et cepit, sublata prius classe, cap. 22, 23; inde progressus Halicarnasso ac tota paene Asiae ora potitus est. Memnon cum reliquis copiis in insulam Cos se recipit. Cap. 24—27. Alexander insuper Marmarenses in Lycia ad extrema adegit, qui eius exercitum transeuntem caede et rapina laceraverant. Cap. 28.

Ann. 4. Memnonem, cui summa belli commissa erat, dum singulari prudentia, virtute ac fortuna res Persarum restituit, Chio et Lesbo potitur, ipsamque Graeciam territat, inopinato abripit mors. Cap. 29. Occiso etiam Charidemo Atheniensi, principe viro, qui meliora, sed regi ingrata, consuluerat, Darius ipse, conscripto novo exercitu, belli gerendi curam suscipit. Cap. 30. Recensus novi exercitus; cum quo Darius

Babylone in Ciliciam proficiscitur. Comites sunt regis uxor, liberi, mater. Alexander interea morbo gravissimo laborabat, a quo Philippus Acarnan eum liberat. Cap. 31. In vincula coniecto Alexandro Lynceste, qui in suspicionem perfidiae inciderat, Alexander rex obviam it Dario, et Issum Ciliciae urbem occupat. Pugna ad Issum, qua Persae funduntur: gaza regia cum castris, Darii mater, uxor, liberi capiuntur. Summa Alexandri in hos clementia. Darius Babylonem refugit, unde Alexandro aequas pacis condiciones offert, sed non acceptas. Itaque novo apparatu bellum instruit. Cap. 32—39.

Olymp. CXII.

Ann. 1. Inde bellum in Aegyptum transfertur. Cum exercitum Alexander per Phoenicem ducit, Tyrii acriter resistunt. Tyri oppugnatio diuturna. Urbs post VII menses vi capta; Alexander novum regem Abdalonymum constituit. C. 40—47.

Respicit Diodorus simul ad ea quae in Europa aguntur. Agis Lacedaemoniorum rex, partes Persarum sectatus, Cretam insulam in Darii potestatem redegit. — Amyntas transfuga incursionem in Aegyptum faciens, pugna apud Memphin commissa cecidit. Graeci legatos ad Alexandrum mittunt, cum Gazam oppugnaret, qui ob victoriam apud Issum et gratulantur et auream coronam dono offerrent. Cap. 48.

Ann. 2. Gaza Alexander Amyntam in Macedoniam mittit ad conscribendos novos milites: ipse in Aegyptum pergat, ob odium Aegyptiorum in Persarum impietatem benigne receptus. Cyrenenses dona et amicitiam offerunt, qua fretus Alexander ultra ad templum Iovis Ammonii tendit. Itineris, regionis, templi descriptio. Acceptum oraculum. Cap. 49—51. Reversus in Aegyptum novam urbem Alexandriam condere instituit, relictis, qui susceptum opus perficerent. Cap. 52.

His peractis Alexander in Syriam movet. Darius certior factus ipsum peti, omnia praeparat ad pugnam, novo telorum genere milites armat, currus falcatos numero auget; tum Babylone profectus prope Arbela castra ponit, unde missa legatione novas splendidasque pacis condiciones proponit, ab Alexandro repudiatas. Alexander copias propius ducit. In itinere moritur Darii coniux. Cap. 53. 54. Acies ad proelium

instruuntur. Proelii ad Arbela descriptio. Darius victus aegre elabitur. Caesorum numerus. Cap. 55—61.

Ann. 3. Diodorus interea res in Europa gestas circumspicit. Regis iterata victoria invidiam, absentia audaciam fecerunt. Memnon, in Thraciam missus ad compescendam seditionem, ipse defecerat. Dum Antipater adversus hunc copias ducit, Lacedaemonii et Peloponnesiorum plures bellum movent. Sed Antipater, rebus quam celerrime compositis, e Thracia advolat, et commisso proelio hostes dissipat. Cecidit hoc proelio Agis rex Lacedaemoniorum. Cap. 62. 63.

Pars posterior.

In Asiam revertitur historicus. Post cladem ad Arbela acceptam Darius in provincias superiores fugit; Ecbatanis in Media quiete se suosque reficit et novas copias cogit. Alexander, collecta ingenti praeda, primo Babylonem petit, ubi militem commodo hospitio recreat et praemiis excitat. Cap. 64. Inde iter ingressus, novis ex Europa acceptis copiis, movet in Sittacenen regionem, hinc Susas, ubi gazam regiam, diu reconditam, reperit. Relicta ibi Darii matre cum liberis, traiecto Pasitigri, per invia et inter tela hostium, in regionem Uxiorum pervenit: superatis deinde rupibus, quae Susiades vocantur, victoque Ariobarzane, Persepolin vi capit, expoliat et devastat, gaza regia et arce sibi soli servata. Arcis descriptio. Cap. 65—71. Tum ob victoriam conviviis et commissionibus indulget, inter quas suasu et hortatu Thaidis regia incendio deletur. Tandem subactis Persidis urbibus Bactra tendit, quo Darius perfugerat, quem tamen interea Bessus dolo ceperat et occiderat. Hunc regis interfectorem Alexander nequidquam persequitur. Cap. 72. 73.

Rebus in Asia ad hunc finem perductis Diodorus gesta in Europa paucis repetit. Lacedaemonii, ab Antipatro victi, missis legatis veniam defectionis ab Alexandro petunt. Cap. 73 extr.

Ann. 4. Obiter commemoratur Bessus, qui postea Bactrianae regnum assecutus est. — Alexander militibus, qui ob Darii mortem spem reditus in patriam conceperant, persuadet ne ipsum ad ulteriora tendentem relinquant. Cap. 74. Ulte-

riores expeditiones: 1) in Hyrcaniam. Maris Caspii et Hyrcaniae res memoratu dignae exponuntur. Multi et Persae et Graeci, qui in Darii exercitu militaverant, castra Alexandri sequuntur. Cap. 75. 76 pr. 2) in Mardorum regionem. Regius equus ibi furto ablati, sed restitutus. Cap. 76. Neque alia omittit historicus, quae memoratu digna visa fuerint, ut Thalestris reginae Amazonum ad regem aditum. Tum primum rex Asiaticorum more luxuria et voluptate diffluere coepit. Cap. 77. 3) in Bactrianam, ad subigendos Satibarzanem et Bessum, qui bellum in Macedones moverant, et Drangenen: quo quidem tempore regis vita in summo discrimine versabatur, structis insidiis ab ipsis eius familiaribus, Dimno, Parmenione, aliis. Cap. 78—80. 4) in Arimaspos, postea Euergetas dictos, et Arachosiam. Cap. 81.

Olymp. CXIII.

Ann. 1. 5) In Paropamisadas. Regionis, aeris indoles describitur. Mons quoque Caucasus s. Paropamisus. Urbes ibi exstructae. Inde partem copiarum oportebat in Bactrianam et Ariam mittere, ubi Bessus et Satibarzanes hostilia agebant. Satibarzanes certamine singulari periit; Bessum quidam e familiaribus per proditionem tradidit. Cap. 83—83.*** 6) In Indiam. — Regina quaedam Alexandro, eius admiratione capta, munera mittit. (Sed hic nonnulla, quae praecesserant, multoque plura, quae secuta erant, in codicibus manuscriptis cunctis qui exstant desiderantur. Nec dubitandum vero Cleophidis reginae in India amores hoc loco fuisse descriptos, rerumque multarum aliarum mentionem esse factam, quarum argumenta indicant tituli huic libro praefixi, iique sedecim. Sed apparet in his ipsis nonnulla turbata esse. Postrema fuisse videtur narratio de Nysia urbe benigne habita, Cleophide adamata, et Massacorum urbe expugnata, ubi ea ipsa acciderunt quae deinceps sequuntur.) **** Mercenarius miles e foedere urbe (Massaca) abierat. Hunc Alexander contra datam fidem persecutus ingenti caede prostravit. Cap. 84. Expugnatae plures Indiae urbes. Inde rex ad rupem inaccessam Aornon progressus, duce sene quodam, in montis summum fastigium evasit, locumque occupavit. Cap. 85. Conti-

nuato itinere obvium habuit Aphricem (Erycem) cum exercitu, mox a suis interentum. Accessit deinde ad Indum fluvium, quo traiecto ad regem Mophim (Omphim), Taxilis filium, pervenit, qui fidem et societatem cum Alexandro iungit. Cap. 86.

Ann. 2. Proximus rex erat Porus, qui consociatis copiis Embisari infestis signis Alexandro obviam venit. Proelio conserto victor Alexander. Tum factis Soli sacris naves in futuros usus construi iussit, quibus struendis ea regio largam praebebat materiem, duasque urbes condidit. (Conf. cap. 95 extr.) Porus in regnum restitutus. Cap. 87—89. Regionis memorabilia recensentur. Cap. 90. Continuatae expeditiones: in alius Pori, prioris ex fratre nepotis, terras, ab Hephæstione expugnatas, et amico Poro datas; in Adrestas; in Cathaeos; in Sopithae regis ditionem. Cap. 91. 92. in Phegei regnum¹⁾ usque ad Hypanin fluvium, ubi ulteriorum regionum et populorum, praesertim Praesiorum et Gandaridarum notitiam accipit. Cap. 93.

Tandem periculis et impedimentis multis, quae imminabant, deterritus, maxime autem taedio, quod milites ceperat, permotus, itineribus ad ulteriora finem ponit. Terminos erectis monumentis amplissimis insignes facit. His perfectis retro movit 1) ad Acesinem fluvium, ubi naves²⁾ fabricatas et novas copias e Graecia missas invenit. Urbes ad flumen exstructas (vid. cap. 89) Nicaeam et Bucephalam appellari iussit. Cap. 94. 95. Inde venit 2) ad confluentem Acesinae et Hydaspis, et ad Siborum agrum; 3) ad Agalassenses, proelio devictos. Cap. 96. 4) ad confluentem Indi et ante dictorum fluviorum,

¹⁾ Ubique Diodorus singulorum populorum mores et leges, si quid praecipui habere videantur, terrarumque res memorabiles paucis indicat.

²⁾ Ad Acesinem fluvium naves constructas esse utique Diodorus refert. Sed textum corruptum, idque, quod relatum legimus, falsum esse, plane intelliges ex Wesselingii annotatione ad cap. 95, qui insertis paucis verbis [*καὶ τοῦτον διαβάς ἐπὶ τὸν Ἰθάσπην*] narrationem ita explet, ut intelligamus Alexandrum primo quidem retro ad Acesinem fluvium movisse, post autem, eo transmissio, ad Hydaspem pervenisse, ubi naves praesto erant, et secundum quem fluvium in mare transvectus est exercitus.

ubi navis, qua Alexander vectus est, in summum discrimen venit. Cap. 97. 5) ad Oxydracas et Mallos. Ibi infestos habuit incolas Alexander: vi oppugnaturus quandam eorum urbem de vita periclitatus est. Peucestes denique et satellitum plures subvenere. Tum coloni Graeci, ab Alexandro in Bactrianam et Sogdianam deducti, deficiebant. Cap. 98. 99. Historiola de Corragi Macedonis et Dioxippi Atheniensis certamine singulari inter soteria regi facta inseritur. Cap. 100. 101. Rex curatis vulneribus iter continuat 6) ad Sambestas; 7) ad Sodras et Massanos, ubi Alexandriam urbem condidit; 8) ad regis Musicani ditionem; 9) ad regis Porticani regnum; 10) ad Sambi regnum. Cap. 102. 11) ad gentem Brachmanum. Inter horum urbes Harmatelia postrema erat, notabilis ob tincta veneno serpentum tela. Regi per somnum indicata herba salubris. Cap. 103. Progressus usque ad Oceanum diis maris sacra facit. Tum retro vectus 12) Hyala urbem, Laconicae reipublicae aemulam, adit. Quo facto Nearchus imperat ut cursu maritimo Euphratis ostia petat et oram maritimam diligenter observet: ipse terra ducit exercitum. Transit et subigit multos populos: 13) Abritas; 14) Gedrosios; 15) regiones aquarum inopes; 16) Oritas; ubi tribus agminibus factis omnem terram occupavit et devastavit. In hac quoque regione urbem Alexandriam condidit. Cap. 104. De Oritarum et Gedrosiorum funerum ritibus et vita agresti narratio adicitur. Cap. 105. Peragratis regionibus incultis assequitur 17) regionem incolis cultam et rerum copia referatam. Ibi suos recreat, sed vicissim in duces imperio abusos animadvertit, et mercenarios ob perfidiam dimittit. Dum Salmunte, urbe maritima, rex morabatur, forte occurrunt, qui cum classe missi erant ad pervestigandum Oceanum, quid viderent referentes, quos rex ad mare remittit. Cap. 106. Ipse pervenit 18) ad Susianos, ubi Calanum philosophum Indum vidit in rogo morientem. Susis Statiram, Darii filiam natu maiorem, in matrimonium ducit, minorem dat Hephæstioni. Ibidem recipit et lustrat iuvenum Persicorum selectorum et ad artem bellicam exercitorum XXX millia. Eo tem-

1) Vid. lib. XVIII, c. 8.

pore Harpalus, satrapa provinciae Babylonicae, cum thesauris aufugit. Cap. 107. 108. Exsulibus¹⁾ veniam redeundi in patriam dat, idque in Olympiis proclamari iubet; bene meritos beneficiis aliis afficit; tanto severior in contumaces et seditiosos. Cap. 109.

Ann. 3. Dimissorum militum numero e Persis prius suppleto, Susis profectus traiecit Tigrim (Pasitigrim), et iter persequitur per has regiones: 19) Ad Caras dictos pagos venit. Inde 20) Sittam peragravit; hinc 21) Celonas genere Boeotos, colonos a Xerxe eo deductos; 22) Bagistanen, regionem agrorum fertilitate et amoenitate insignem; 23) aliamque regionem, equorum copia celebrem, transiit; tandem attigit 24) Mediam, ubi Susis substitit. Hic Hephaestio morbo decessit, cuius cadaver Babylonem transfertur. Cap. 110.

Per hoc tempus tumultus in Graecia moti, quorum mentio iniicitur. Auctores erant mercenarii¹⁾ ab Alexandro dimissi, ad Taenarum Laconiae duce Leosthene congregati. Initium belli Lamiaci. Cap. 111.

Susis Alexander movit in Cossaeos, gentem Mediae, alieni imperii impatientem, vi subigendam. Cap. 111.

Ann. 4. Perdomitis Cossaeis Alexander 25) Babylonem se recipit, intratque urbem, contemptis Chaldaeorum vaticiniis. Cap. 112.

Olymp. CXIV.

Ann. 1. Babylone convenerant legati ex omnibus fere orbis terrarum partibus ad Alexandrum missi. Recensus eorum. In classes divisos rex ordine audivit. Cap. 113. Tum apparavit Hephaestionis funus longe splendidissimum. Cap. 114. 115. Deinde desidia, vano splendore, superstitioni indulget. Ob crebra prodigia mortem proxime imminere et Chaldaeos (vid. cap. 12) vera praedixisse opinatur. Cap. 116. Cum ad Medium commissatum isset, extemplo in morbum incidit, quo mortuus est. Extremi eius sermones. Cap. 117.

¹⁾ Sed causam belli praebuit etiam venia exsulibus Graecorum ab Alexandro data redeundi in patriam. Conf. supra cap. 109; imprimis autem lib. XVIII, c. 8.

Multi suspicati Antipatrum per filium regi veneno dato vitam eripuisse. Paulo post Sisygambis, Darii mater, ob luctum inedia vitam finit. Cap. 118.

PERIODUS II.

Ab Alexandro M. usque ad Iulium Caesarem eiusque bellum Gallicum.

Lib. XVIII—XL.

Periodi II

Sectio I.

A successoribus Alexandri M. usque ad Agathoclis in Sicilia tyrannidem.

Lib. XVIII.

Olymp. CXIV, 2. — CXV, 3.

Prooemium ex ipsa Alexandri M. mortis historia sumtum. Quod veteres philosophi plures docuerunt, hominum animos immortales esse et sub vitae terrestri finem futura praevidere, id suo exemplo Alexander M. comprobavit, praedicens (conf. lib. XVII, cap. 117) amicorum principes funus suum *magno certamine* celebraturos esse. Namque haec vox eorum, quae mox secuta sunt, velut summa erat. — Additur annorum ratio. Liber annos VII complectitur. Cap. 1.

Hoc quoque libro rerum coaevarum notitia, quam alioquin Diodorus per singulos annos inserere solebat, omissa est. Acquiescit in enarrandis solis rebus inter Alexandri M. successores gestis. [V. praef. ad vol. 2, p. IV.]

Ann. 2. Dissidia in exercitu et inter principes de regno administrando ita dirimuntur ut Arrhidaeum, Philippi filium, regem constituant, eique Perdiccam ut regni procuratorem adiungant, ducibus autem ceteris singulas provincias assignent. Provinciarum inter duces distributarum recenset exhibitur. Cap. 2. 3. Executiuntur regis commentarii, et quae rex in po-

sterum suscipienda et exsequenda designasset, in deliberationem veniunt: placuit acta rescindere. Perdiccae in milites contumaces, in Meleagrum proditorem, et in Graecos, qui in superiore Asia defecerant, consilia ac decreta. Cap. 4. Iam sequitur regni Macedonici descriptio accuratior, et quidem 1) Asiae et singularum in ea provinciarum, Graecarum etiam coloniarum, ob defectionem, a Pythone bello oppressarum, et iussu Perdiccae contra datam fidem sublatarum. Cap. 5—7. «Atque hic tum rerum Asiaticarum status erat.» 2) Provinciarum Europae et rerum ibi gestarum. Erumpit bellum Lamiacum, cuius occasio iam supra (XVII, cap. 111) commemorata est. Belli causa¹⁾ assertur: infesti populi et exercitus, socii utriusque partis, duces, recensentur. Proelio victus Antipater, dux Macedonum, Lamiam perfugit, ubi obsidione inclusus tenetur. Sed facta eruptione Macedones vincunt: Leosthenes, Graecorum dux, saxo ictus perit. (Tum Demosthenes ab Harpalo corruptus exsilii poenam subiit.) Cap. 8—13. «Talis rerum in Europa status erat.»

Circumspicit Diodorus simul alias partes. Ptolemaeus, nactus provinciam Aegyptum, ut a Perdiccae insidiis, quas metuit, tutior sit, Antipatrum foedere sibi iungit. Lysimachus in Thracia Seutham regem bello impugnat. Proelio commisso victoria incerta manet. Leonnatus ex Asia vocatus Antipatrum auxiliis adiuvat. Cap. 14.

Redit deinde historicus ad bellum Lamiacum. Graeci Leonnati copias fundunt priusquam Antipatro iungeretur, ipsumque occidunt. Antipater victos colligens cedendo discrimini se subducit. Dum terra vincunt Graeci, classis Atheniensium, quamvis navibus aucta, a classe Macedonum, cui Clitus praefectus erat, duplici proelio cladem accipit. Cap. 15.

Interea Perdiccas bellum movet in Ariarathen, Cappadociae regem, eoque victo, Cappadociam in provinciam redigit, eique Eumenem Cardianum praeficit. Cap. 16 pr.

Tandem Diodorus Lamiaci belli historiam, aliis atque aliis rebus interruptam, ad finem perducit. Craterus e Cilicia cum

¹⁾ Omittit Diodorus eam, quam supra XVII, 111, commemoraverat.

novis copiis Antipatro apud Lamiam auxilio venit. Graecum proelio victi, pacem petunt atque impetrant. Cap. 16 med. 17. 18.

Inde transit ad bellum Cyrenaicum, quod eodem tempore inter Thibronem, Harpali interfectorem (conf. XVII, c. 108), Mnasiclem et Ptolemaeum gestum est, quo Cyrenaica in Ptolemaei potestatem concessit. Cap. 19—21.

His missis vestigat res a Perdicca post subiugatam Cappadociam (conf. c. 16) porro in Pisidia gestas. Cap. 22. Tum alia eius consilia persequitur, duplici matrimonio simul Antipatri amicitiam consequendi, simul regnum occupandi; et ab altera parte Antigoni, qui dolos animadvertit, adversa consilia cum Antipatro, Cratero et Ptolemaeo contra eum inita. Antipater et Craterus occupati erant in bello contra Aetolos, e Lamiaco bello residuis nec dum domitis. Sed rebus utcumque compositis bellum commune parant in Perdiccam, et in Asiam traiciunt. Cap. 23—25.

Ann. 3. Iam vero tempus incidit, quo funus Alexandri M. Babylone Alexandriam in Aegypto deducendum erat. Itaque in funeris apparatu describendo, cuius curam Arrhidaeus susceperat, historicus commoratur, et tantisper reliquam historiam interrumpit. Cap. 26—28.

Hinc redit ad bellum inter duces ortum. Eumenes cum Alceta et Neoptolemo ad Hellespontum Antipatro et Cratero oppositi; sed Neoptolemus, succensus Eumeni, ad partes Antipatri transit: proelio in Cappadocia conserto Eumenes victor, occisis Cratero et Neoptolemo. Cap. 29—32. Perdicca ipse in Aegyptum movet. Itineris bellicae fortuna. Perdiccae milites in summas angustias adducti, victoriae autem ab Eumene reportatae ignari, Perdiccam per factionem oppressum occidunt, et ad Ptolemaeum desciscunt. Summum imperium regumque tutelam Pythoni et Arrhidaeo ultro deserunt. Attalus, qui Perdiccae classi praeerat, Tyrum petit. Cap. 33—37.

Dum Antipater in Asia erat, Perdiccae instinctu Aetoli incursionem in Thessaliam fecerunt, ut eum retraherent. Interea Acarnanes invadunt Aetoliam, et Aetolos cogunt redire ad patriam defendendam; per quam occasionem Polysperchon Thessaliam recuperat. Cap. 38.

In Asia Arrhidaeus et Pytho cum regibus et exercitu ex Aegypto in Syriam transierunt. Ob Eurydicen imperiose praecipientem tutelae curam deponunt; quam recipit Antipater. Illic novam¹⁾ provinciarum facit distributionem. Exhibetur index provinciarum et eorum, quibus assignatae sint. Quo facto Antipater reges in Macedoniam reducit. Cap. 39.

Antigonus, cui regii exercitus imperium obtigit, Eumenum in Cappadocia debellat. Cap. 40—42.

Ptolemaeus exstincto Perdicca in imperio Aegypti confirmatus, Syriam et Phoenicem in ditionem suam redigit. Cap. 43.

Ann. 4. 2)

Olymp. CXV.

Ann. 1. 2)

Ann. 2. Ab Asia incipit Diodorus. Antigoni, victo Eumene, expeditio et victoria in Alcetam et Attalum. Ob Alcetam apud Termessum hostibus proditum iuventus Termessensium ira incensa tumultus excitat. Antigonus e Pisidia in Phrygiam abit. Cap. 44—47.

Ex Asia historicus in Macedoniam transit, et novissimos Antipatri, qui morti proximus erat, actus refert: Atheniensium legatos, iniqua petentes, clam occidere iubet; Polysper-

¹⁾ *Ἡ δευτέρα διαίρεσις ἐν Τριπαραδείσῳ.* Lib. XIX, c. 12.

²⁾ De lacuna, quae manifesta est, inspicienda sunt quae Rhodomanus et Wesselingius ad h. l. et ad finem capitis 57 admonuerunt. In ambiguo esse videtur in quam maxime libri ac temporis partem lacuna incidat. Cum proxime antecedentia cum sequentibus apte cohaereant, hic quidem Wesselingius nihil deesse, sed lacunae locum ante cap. 39 assignandum putat. Inter alia rerum Sicularum narrationem ea parte libri, quae excidit, fuisse comprehensam, coniicit ex lib. XIX, c. 3 med., ubi historicus expressis verbis commemorat res Siculas proximo libro singulatim fuisse traditas. Nobis quidem parum probabilis videtur haec opinio, quoniam inde ab Alexandro M. ac deinceps, libro itaque XVII et XVIII, terrarum regnorumque eorum, quae Alexander M. eiusque successores bello intacta reliquerant, omnis historia adeoque memoria consulto omissa est. Neque diffitemur formulas istas, quibus lectores ad librum XVIII remittantur, nobis suspectas esse. [V. praefat. vol. 2, p. III seq.]

chontem summum imperatorem et regiae stirpis tutorem, et Cassandrum filium chiliarchum seu in imperio secundum constituit. Cap. 48. Cassander altero loco haud contentus, belli societatem cum Ptolemaeo et alijs ducibus in Polysperchontem iungit. Polysperchon Olympiadem ex Epiro, quo ob inimicitias cum Antipatro confugerat, in Macedoniam revocat. (Conf. c. 57.). Cap. 49.

Redit deinde in Asiam, ubi mors Antipatri novos motus attulit. Inprimis Antigonus post eius mortem magna spe elatus Eumenem sibi amicum facere et eo adiuvante Asiae regnum occupare studet. Cap. 50. Arrhidaeus, Phrygiae satrapa, ut sibi contra Antigonum prospiceret, Cyzicenorum urbem praesidio occupare frustra conatus est. De his conatibus certior factus Antigonus copias mittit in Arrhidaeum, ipse movet in Clitum, Lydiae satrapam, aliosque, pecuniamque regiam e Cilicia in Macedoniam transvehendam intercipit. Cap. 51. 52. Eumenis, nunc ad armorum societatem ab Antigono vocati et obsidione liberati, fortunam variam, ingenium, industriam, et in utraque fortuna constantiam miratur historicus. Cap. 53.

Relictis rebus Asiaticis res in Europa gestas persequitur Diodorus, ac praesertim bellum a Cassandro in Polysperchontem motum. Cassander in Asiam ad Antigonum traiecerat, qui auxilia promisit; spes etiam erat Ptolemaeum belli socium futurum. Polysperchon ipse quoque circumspicit auxilia contra imminens bellum. Literas scribit ad civitates Graecas et ad Eumenem, ut regum potius quam Antigoni partibus adhaereant. Cap. 54—57.

Ann. 3. Eumenes tum assignatis pecuniis et copiis, tum acceptis ab Olympiade literis, permotus est ut fidem suam obstringeret regibus. Ex Asia in Macedoniam transvectus, prudentia, moderatione, modestia, insuper singulari in Alexandrum reverentia, animos omnium in se convertit. Per amicos ubique novos milites cogendos curat. Cap. 58—61. Ptolemaei et Antigoni consilia et insidiae in Eumenem, sed omnes irritae, describuntur. Ipse Eumenes in Phoenicem proficiscitur ad classem pluribus navibus augendam. Cap. 62. 63.

Hoc tempore Athenienses e literis regis (vid. cap. 56)

postulant ut ipsorum libertatem Polysperchon contra Nicanorem, quem Cassander Munychiae praefecerat, defendat portumque restituat. Sed placuit Polysperchonti, donec in Cassandrum bellum sit gerendum, insuper Piraeum per filium Alexandrum occupare. Suasor erat Phocion Atheniensis, ob id prodicionis accusatus, et supplicio affectus. Cap. 64—67. Hinc bellum a Cassandro et Antigono in Polysperchontem et regios movetur. Cap. 68—75. Cassander classe advectus Piraeum occupat, dum Nicanor Munychiam retinet. Qua re motus Polysperchon exercitum in Graeciam ducit: in Atiica relinquit Alexandrum filium, ipse in Peloponnesum profectus Megalopolin oppugnat. Damidis strategemate et elephantum impetus inhibitus et ipsa oppugnatio irrita facta est. Cap. 68—71.

Mox Clitum nauarchum cum classe in Hellespontum mittit, qui prohibeat ne copiae ex Asia in Europam transvehantur. Hic proelio apud Byzantium commisso hostium classem fundit, post haec ipse amissis paene omnibus navibus in fugam actus perit. Antigonus hac victoria fretus et maris et Asiae summum imperium invadere aggreditur. Itaque Eumenem insequendo urget, qui multo labore in Persiam se recipit. Haec in Asia gesta. Cap. 72. 73.

In Europa Polysperchon tum ob cladem apud Megalopolin acceptam tum ob socordiam vilescit; contra in Cassandrum et civitatum Graecarum et Macedonum favor se inclinat. Cap. 74. 75.

Periodi II

Sectio II.

Ab Agathoclis in Sicilia principatu usque ad eius bellum adversus Poenos, et pugnam quidem apud Himeram.

Lib. XIX.

Olymp. CXV, 4. — CXVII, 2.

Prooemium continet observata quaedam de rerum publicarum conversionibus, earumque causis et praecipuis auctoribus. Nunquam facile ab infimae sortis hominibus, sed plerumque ab optimatibus eorumque factionibus, oppressam libertatem

et invectam esse tyrannidem. Honoratissimum et potentissimum quemque libertati maxime suspectum et fraudi esse. Siciliam eius rei exemplis abundare, et Agathoclem recentissimum illud praebere. Ita transitum parat ad Siciliae historiam, quae novae periodo velut fundamentum substernitur. Ab ea certe temporis termini sumti, qui sectionem et librum circumscribant. Cap. 1. Continet liber VII annorum historiam.

Ann. 4. Ad hunc annum, quo Syracusarum tyrannidem occupavit Agathocles, eius hominis ortum totamque¹⁾ vitam eo usque actam Diodorus retulit, ne divisa per plures annos narratio minus dilucida vel minus grata esset. Cap. 2—9. «Hunc tum statum Sicilia habuit.»

** Ex Sicilia in Italiam transit historicus. Romani iam in nonum annum cum Samnitibus bellum gesserant. In Apulia Daunia vastata; Canusini in deditionem venerunt; Romae additae duae tribus Falerina et Ufentina. Cap. 10 pr. Crotoniatarum et Bruttiorum bello composito intestinis discordiis agitantur, facta conspiratione cum Heraclide et Sosistrato. Cap. 10. «Persecuti gesta in Sicilia et Italia, orationem convertamus ad reliquas Europae partes.»

Sequitur Macedonia. Polysperchon, adiuvante Aeacida rege Epiri, Olympiadem ex Epiro, ubi ob odium Cassandri vixerat, revocat et in regnum reducit, a qua deinde in Eurydicen et Philippum, Nicanorem, Cassandri fratrem, huiusque asseclas, crudelissime saevitum est. Omnes trucidat; eoque commune in se odium excitat. Cap. 11.

Iam res Asiaticas perlustrat. Eumenes, qui Macedones Argyraspides eorumque ducem Antigenem secum habebat, e Babylonia, ubi castra habuit, Susa versus movet, perpetuo insectantibus Seleuco et Pythone, qui etiam Macedones abalienare student. Peucestes vero Persidis satrapa et complures alii satrapae, quibus Python erat suspectus, in Susianam congressi suas copias Eumenianis iungunt. Fit contentio de summo imperio. Eumenes autem suadet ne unum imperatorem creent, sed communi consilio de republica deliberent,

¹⁾ Singula vitae momenta singulatim indicata requiras in argumentis librorum.

habito consessu ad solium Alexandri, quem velut praesentem venerentur, ad eundem modum, qui supra lib. XVIII, c. 60, 61, descriptus est. Ita pacem et concordiam firmat. Itaque cum Antigonus Mesopotamia profectus Eumenem hoc tempore invasurus esset, iunctum satraparum agmen hostem deterruit, et a bello Eumeni ac Macedonibus inferendo avertit. Cap. 12—15. Cognito autem Antigonum in superiores Asiae provincias movisse, Attalus, Polemo, Docimus, Antipater et Philotas, per hanc occasionem e castello, quo capti tenebantur (conf. lib. XVIII, c. 45) evadunt. Sed dum cunctantur, iidem rursus capiuntur. Cap. 16.

Olymp. CXVI.

Ann. 1. Primo Diodorus res in Asia inter Antigonum et Eumenem gestas persequitur. Cap. 17—34. Deinde refert quae in Europa a Cassandro, Polysperchonte huiusque filio Alexandro acta sint. Cassander in obsidenda Tegea in Peloponneso occupatus, cum Olympiadis reditum in Macedoniam et Eurydices aliorumque necem (conf. XIX, c. 11) accepisset, in Macedoniam contendit, et Pydnam, quo Olympias se receperat, obsessam tenet. Cap. 35. 36. Tum in Asiam revertitur, ubi Antigonus et Eumenes acerrimo proelio configunt. Victus Eumenes. Quo facto Macedones ultro ad Antigonum deficiunt, ipse Eumenes hosti a suis traditus morte occubuit. Cap. 37—44. — Obiter triplex diluvium commemoratur, quo Rhodus per id tempus vastata est. Cap. 45. — Hinc revertitur historicus ad Antigonum, qui Pythone etiam occiso nunc in Asia regnat. Cap. 46—48. Tandem rursus in Europam transvolat, ubi narrationem de Cassandri rebus gestis continuat. Capta et occisa Olympiade una cum Aristonoo duce copiarum regno potitur. Potestate omni modo firmata, condita etiam nova urbe, quam a suo nomine Cassandream appellavit, et in transitu Boeotiae Thebis (conf. XVII, c. 13. 14) instauratis, in Peloponnesum movet. Cap. 49—54.

Ita narrationis tenore generatim descripto, simul perspicuitati, simul brevitati inservire studui. Singulas historiarum partes in argumentis accuratius explicuimus.

Ann. 2. A rebus Asiaticis initium capitur. Antigonus,

in Susiana relicto Aspisa praefecto in Babyloniam se confert. Benigno ibi hospitio exceptus a Seleuco, eius provinciae satrapa, cum redituum rationem exigeret, Seleucus id indignatus, et Antigoni insidias metuens, ad Ptolemaeum in Aegyptum confugit. Chaldaei interitum Antigono praedicunt, quod Seleucum manibus elabi passus sit. Itaque Antigonus, ostenta expiaturus, et Ptolemaeum et Cassandrum et Lysimachum sibi propitios reddere studuit; sed hi nihilominus, cum propositam conditionem de dividendis provinciis et thesauris non acciperet, arma in eum consociaverunt. Cap. 55 — 57. Antigoni socii advocati, apparatus bellicus, profectio in Phoenicem, Cap. 58. [Obiter Diodorus refert circa hoc tempus Crateri ossa (conf. XVIII, c. 30) per Aristonem Philae ad sepulturam tradita esse; cuius mulieris ingenium animumque praedicat. Cap. 53.] Duces Antigoni in Peloponnesum, Cappadociam, Bithyniam cet. missi: Polysperchon et Alexander eius filius socii facti. Cap. 60. Antigonus Cassandrum perduellionis reum facit; Graecos libertatis spe allicit; quos eisdem Ptolemaeus ad eandem spem erectos in suas partes trahere conatur. Tum infesti exercitus in diversas partes profecti recensentur. Cap. 61. 62. «In hoc statu res Antigoni erant.»

Expositis rebus in Asia gestis, sequuntur res in Europa et primo quidem in Graecia et Macedonia gestae. Apollonides, Cassandri legatus, expeditionem facit in Arcadiam, inde in Argolidem, ubi in adversariorum factionem summam exercet immanitatem. Cassander vero per Thessaliam in Boeotiam movet, ubi Thebarum instaurationem adiuvat; deinde Peloponnesum ingressus Cenchreas expugnat, Corinthiorum agrum populatur, Orchomeniorum urbem per proditionem capit. Tum reditum parat in Macedoniam. Postea Alexander fil. Polysperchontis ab Antigono ad Cassandrum desciscit. — Polyclitus Ptolemaei nauarchus Theodorum Antigoni nauarchum capit, eiusque copias et pedestres et navales fundit. Cap. 63. 46.

Deinde Diodorus perstringit res memoratu dignas in parte Europae occidentali obvias. In Sicilia Agathocles contra pactorum fidem Messeniorum castellum aliquod occupat, ipsamque urbem urget; tandem Carthaginienses ipsum ablata restituere cogunt.

** In Italia Romani bello in Samnites occupati Ferentum capiunt. Nucerini ad Samnites deficiunt. Cap. 65.

Ann. 3. Aristodemus Antigoni legatus Aetolos ad auxiliandum Antigono adigit; inde profectus in Peloponnesum properat, et Alexandrum ab obsidione Cyllenes depellit. Relicto ibi praesidio in Achaiam movet. Tum in Aetoliam redit. Interea Alexander Dymaeos subigit; sed cives superstites, acceptis ab Aristodemo auxiliis, deleto praesidio, libertatem recuperant. Cap. 66. Mox Alexander, Sicyone decedens, ab Alexione, amicitiam simulante, occisus est; cuius tamen coniux Cratesipolis, mariti vices subiens, res prudentia et fortitudine singulari gessit. Cap. 67 pr. «Atque in hoc statu res Peloponnesi erant.»

In Aetolia novi tumultus per factiones orti. Interea Cassander copias in Asiam transmittit, tum ad tutandas civitates foederatas, tum ad cohibendum Antigonum, ne in Europam traiciat. Cap. 67 med. 68. Itaque Antigonus verens ne Cassander ipsum in Asia adoriatur, quae ad defendendam eam necessaria videbantur, constituit; filium Demetrium cum copiis in Syria relinquit, adiunctis iuveni IV gravissimis et fortissimis viris, qui consilio sint, ipse ad Celaenas Phrygiae promovet. Cap. 69. «In hoc statu res Graeciae et Asiae erant.»

Neque res Siculae intactae praetereuntur. Breve Agrigentinarum bellum in Agathoclem oritur. Socii erant Geloi et Messenii. Ad hoc eos incitaverant exules Syracusani, monentes tyranni potentiam coercendam esse priusquam opprimeret omnes. Sed ob imperatoris superbiam, quem Lacedaemonii miserant, mox belli suscepti eos poenituit. Itaque conciliatore Amilcare pax facta est. Restituta temporum securitate Agathocles ditionem, nullo hoste impeditus, auxit et firmavit, simul copiis et armis se ita instruxit ut ad bellum, quod a Poenis imminabat, sustinendum paratus esset. Cap. 70—72 pr.

** Adiecta notitia rerum Romanarum et belli quidem cum Samnitibus continuati. Cap. 72 extr.

Ann. 4. Primo de rebus in Europa gestis agitur, et quidem de bello Callatianorum in Ponto, qui defecerant, iunctorumque aliorum populorum, Thracum et Scytharum, in Lysi-

machum. Auxilia etiam Antigonus his populis miserat, tum mari, tum terra, Pausania duce. Quos tamen hostes cunctos Lysimachus devicit, Pausania interemto. Cap. 73. Antigonus, frustrato eo conatu, Telesphorum cum classe et copiis in Peloponnesum mittit, ad Graecos vindicata libertate sibi conciliandos, quae res meliorem successum habuit. Philippus Cassandri frater bellum pro fratre in Aetolos et Epirotas suscepit, resque prospere gessit. Cap. 74. Ad hunc finem res in Graecia perductae.»

In Asia Asander bello pressus cum Antigono in gratiam redit, Agathone fratre obside dato. Deinde, cum pacis poeniteret, fratre e custodia surrepto, de novo ab Antigono deficit, et Ptolemaeum atque Seleucum in auxilium vocat. Tum Caria omnis ab Antigono subacta. Cassander classe Graeciam petit. Cum Oreum oppugnaret, Telesphorus et Medius ei instant. Sed auxilio veniunt Athenienses. Cap. 75.

** In Italia bellum cum Samnitibus continuatum. Samnites pugna ad Cinnam commissa cladem accipiunt. Campani, qui a Romanis defecerant, audita ipsorum de Samnitibus victoria, pacem petunt. Cap. 76.

Olymp. CXVII.

Ann. 1. Narrationem passim intricatiorem deprehendes. Primo de rebus in Graecia gestis agitur. Antigonus Polemonem (Ptolemaeum, Antigoni nepotem et legatum, vid. Palmerium et Wesselingium ad c. 77, not. 86) cum classe et copiis, adiunctis etiam Rhodiorum auxiliis, in Graeciam mittit, ad vindicandam Graecorum libertatem. Appellit ad Boeotiae oram, ubi novas copias accipit, et Chalcidenses in Euboea in societatem accipere sperat. Sed Cassander maxima vi obstitit. Interea Antigonus ad Hellespontum contendit, inde in Macedoniam trajecturus. Id metuens Cassander, relicto praesidio Chalcide, in Macedoniam se recipit. Cap. 77. Coreyraei Apolloniatis et Epidamniis contra Cassandrum auxilio veniunt, et Cassandri praesidium expellunt. Dum discessit Cassander, Ptolemaeus Antigoni legatus Chalcidem capit; tum in Atticam et ad ulteriora promovet, rerumque potitur. Cap. 78.

Deinde narratio ad res Asiae et Aegypti transfertur. Pto-

lemaeus Cyrenaeos, Cyprios, pluresque alios, qui defecerant, per legatos subigit; ipse in Syriam et Ciliciam expeditiones suscipit. Cap. 79. Inde in Aegyptum reversus denuo, a Seleuco excitatus, copias in Syriam contra Demetrium, Antigoni filium, ducit. Trepidat iuvenis in acie instruenda, sed animum addunt milites, quos animi mansuetudo et corporis decor ceperat. Cap. 80. 81. Acies ab utraque parte instructae describuntur. Cap. 82. 83. Proelio ad Gazam victus Demetrius Tripolin aufugit. Cap. 84. 85. Ptolemaeus insuper Sidonem et Tyrum in deditionem redigit. Cap. 86. «In hoc statu tum res Asiae erant.»

Sequuntur res in Graecia gestae. Telesphorus Antigoni nauarchus cum ad Corinthum moraretur, indignatus quod Ptolemaeum sibi praeferreri videret, ab Antigono defecit. Obviam ivit Ptolemaeus, eiusque conatus suppressit. Cap. 87. In regno Epiri Aeacidem (conf. c. 74) secutus est Alcetas, Cassandro infestus. Itaque Lyciscus, Cassandri in Acarnania legatus, bello illato eum regno eicere parat. Cum duplici proelio decertassent, et altero Alcetae copiae succubuissent, Cassander suis succurrens, facta cum Alceta pace, in Apolloniatas movit, qui ad Illyricos desciverant. Sed proelio pulsus in Macedoniam redit. Leucadii quoque, a Corcyraeis auxilia nacti, a Cassandro defecerunt. — Alcetam postea sui ob eius superbiam occiderunt. Cap. 88. 89.

Iam vero Asiae res ulterius persequitur historicus. Seleucus post Demetrium superatum (c. 84), absente etiam Antigono (c. 77), in Babyloniam contendit, quamvis modico exercitu, tamen confisus Babyloniorum in se benevolentiae ac fidei. Antigoni asseclae, in arcem quandam recepti, facile capti. Hoc itaque modo Babyloniam Seleucus recuperavit. Cap. 90. 91. Movet quidem in eum Nicanor Mediae dux, sed partim proelio pulsus, partim a suis desertus, cum paucis amicis fugam capessit. Cap. 92. Eodem vero tempore Demetrio, quamvis magna clade afflicto, contigit Cillen Ptolemaei legatum, in eum cum exercitu missum, opprimere, ipsumque e vita tollere; quo fausto successu cognito, eius pater Antigonus, tum ad Celaenas in Phrygia castra habens, properato itinere suas admovit copias, ut filius copiis longe superior

esset. Quamobrem Ptolemaeus copiis impar consultum duxit se in Aegyptum recipere. Cap. 93. Ita recuperata Syria Antigonus expeditionem in Arabiam facere aggressus est. Arabum diversa genera, instituta, mores describuntur. De expeditione ipsa eiusque eventu narratio. Petram nequidquam oppugnans Demetrius, donis acceptis, ad lacum Asphaltiten iter retro vertit, qui lacus et in eo natum bitumen obiter describitur. Cap. 94—100 med. Interea nuntio accepto Seleucum Babylonia esse potitum, Antigonus Demetrium in Babyloniam ablegat, qui urbem Babylonem desertam offendit et capit. Cap. 100 extr.

** Inseritur hic rerum Romanarum mentio. Prospere succedit bellum in Samnites et loca multa expugnantur. Colonia Pontia deducta. Cap. 101.

Tandem res in Sicilia gestae lustrandae supererant. Messenii, quamvis pace facta, (conf. c. 71.) infesti erant Agathocli. In eorum urbem confluerunt exsules Syracusanorum. Eam Agathocles, misso Pasiphilo cum arcanis mandatis, dolo capit, exsulesque omnes concidit. Deinde agros Carthaginiensium infestat, et multa loca munita capit, missoque Pasiphilo Dinocratem exsulum ducem proelio vincit. Cap. 102—104.

Ann. 2. Insignis hic annus pactione Cassandri, Ptolemaei et Lysimachi cum Antigono de provinciis et nece clandestina Rhoxanes una cum rege iussu Cassandri per Glauciam commissa. Ita provinciarum administri metu regis liberati provincias tanquam regna occupabant. Cap. 105 pr. «Atque in hoc statu tum Asia, Europa, Graecia atque Macedonia erant.»

** Adiecta notitia rerum Romanarum. Pollitium Romani oppugnant. Interamna deducta colonia. Cap. 105 extr.

Denique Diodorus in rebus Siculis belloque a Poenis Agathocli illato finit. Hanc libri seu spatii temporis percurrendi metam constituerat. Iam diu Poeni ob Agathoclis ingravescentem tyrannidem solliciti erant; nuper etiam per Dinocratem exsulum Syracusanorum ducem admoniti (Cap. 103.) ut eam coercerent. Itaque nunc maximo quo possunt apparatu Poeni bellum in eum instruunt. Navibus advectae e Libya copiae tempestate attritae; deinde mercenario milite et socio-

rum auxiliis refectae. Agathocles copiis multo inferior Gelam dolo occupat, civibus, quotquot suspecti essent, crudelissime mactatis; ad hanc urbem, praesidio valido munitam, castra locat. Cap. 106. 107. Poenorum castra circa Himeram fluvium ad Ecnomon montem erant. Pugna ibi conserta Poeni victores, Agathocles clade ingenti affectus. Tum vero Agathocles, ut rebus suis consuleret, consilium cepit bellum in Libyam transferendi. Cap. 108—110. «Nos itaque e proposito ab Agathoclis expeditione in Libyam sequentis libri initium faciemus.»

Periodi II

Sectio III.

Ab Agathoclis bello in Libya contra Carthaginienses gesto usque ad bellum commune regum in Antigonum.

Lib. XX.

Olymp. CXVII, 3. — CXIX, 3.

Prooemii argumentum ex arte historica petitur, non abhorrens quidem ab opere historico, at nulla propria ratione ad hunc librum pertinens, neque nexu aliquo ei iunctum, sed moris ac consuetudinis causa appositum. Scriptor prooemiorum multa exempla prompta habuisse videtur, unde quoties opus fuerit, singula, quae certe haud incongrua essent, sumeret. Dissertit vero hoc prooemio de orationum historiis interpositarum tum abusu tum etiam usu. Cap. 1. 2.

Adiecta chronologica ratio. Cap. 2 extr. Continet liber IX annos.

Ann. 3. Post pugnam ad Himeram, cum in Sicilia omnia ad perniciem profligata, magna pars copiarum caesa, socii paene omnes abalienati essent, Agathoclem spes cepit fore ut perdita in Sicilia, ubi Poeni numero et robore praevalebant, in Africa recuperaret. Belli in Africam transferendi, simul Siciliae per Antandrum fratrem tuendae ratio. Cap. 3. 4. Navigatio in Africam prudenter dissimulata: nihilominus ob crebros hostium obviorum impetus admodum periculosa. Adventus in ora Africana; sacra Cereri et Proserpinae facta;

naves incendio deletae, ne milites refugium haberent; milites recreati, partim primis itineribus per agros amoenos ac fertiles ducti, partim Megalopoli et Tunete urbibus ex improviso oppugnatis et captis. Cap. 5—8. Carthaginienses, inopinato adventu hostium consternati, subito cogunt exercitum. Hanno et Bomilcar imperatores copias producunt in aciem. Cap. 9. 10. Agathoclis acies. Fictis ominibus erigit suorum animos. Cap. 11. Proelio acerrimo commisso cadit Hanno; solus superstes Bomilcar suis potius quam reipublicae commodis servit: victor Agathocles hostium castris politur. Caesarum hostium numerus. Poeni, elusa victoriae spe, qua erant elati, donis, adeoque hostiis humanis, deos placare student. Cap. 12—14. In Sicilia interea Amilcar Syracusis instat, dissimulata suorum in Africa caede; tandem Antander, accepto de fratris victoria nuntio audacior factus, hostes urbe propulsat. Cap. 15. 16. — Agathocles in dies gravior Poenis, etiam tum, cum acceptis novis e Sicilia copiis ipsum apud Tunetem castris exuissent. Cap. 17. 18. «In hoc quidem statu res Siciliae et Africae erant.»

Ab his ad Macedoniam regnique Macedonici provincias ducumque bella mutua historicus se convertit. Cassander Autoleonti Paeonum regi contra Autariatas auxilio venerat. Ad eum Ptolemaeus Antigoni in Peloponneso legatus deficit. Antigonum insuper bello petit Ptolemaeus Aegypti princeps, quod contra inita pacta (conf. lib. XIX, c. 105.) imperatorum Graecis civitatibus libertatem non restituit. Sed ubique victor Antigonus. Cap. 19. Polysperchon, ut Cassandrum Macedoniae regno pellat, Pergamo arcessit Herculem Alexandri filium, bellumque in eum movet sociis Aetolis. Cap. 20. Ptolemaeus subacta Cypro saevit in Nicoclem Paphiorum regem, suspectum ob amicitiam cum Antigono. Cap. 21.

* Finita rerum ad Siciliam regnumque Macedoniae pertinentium historia, quae ἡ ἐπαγγελία τῶν γεγονότων, propositum operis in hoc temporis spatio argumentum caputque erat, adiicit scriptor τὰς συνεχεῖς πράξεις, res coevas aliorum regnorum, ab historiae communis corpore sive systemate avulsas, atque historiae catholicae velut parerga. Moritur in Ponto Parysades Bospori rex, (conf. XVI, c. 52.) De regno

oritur bellum inter relictos tres filios, Satyrum, Eumelum et Prytanim. Occisis reliquis Eumelus superstes regnum suscipit, et per quinque annos optime et felicissime gerit; tum curru vectus, consternatis equis, occubuit. Itaque novo exemplo vides confirmatum subinde plurium annorum historiam ad unum referri annum. Cap. 22—26.

** Adiecta mentio rerum Romanarum, sed in locorum nominibus valde corrupta. Cap. 26 extr.

Ann. 4. Incipit historia anni a rebus Macedonicis. Ptolemaeus Aegypto praefectus, re male gesta in Cilicia, (vid. c. 19.) movet in Lyciam, ubi urbes et castella plura vi capit. Inde in insulam Con profectus in societatem recipit Ptolemaeum, Antigoni nepotem et legatum, a fratre deficientem: eundem mox ob insidiarum suspicionem de medio tollit. C. 27. Polysperchon, Cassandro infestus, promissis captus cum eo in gratiam redit; et Herculem, quem in regnum paternum erat reducturus, clam necat. Cap. 28.

Obiter commemorata nova in Chersoneso urbe, a Lysimacho condita et a suo nomine appellata, nuntiatoque Cleomenis regis Lacedaemoniorum obitu, quem Areus secutus est, transit ad res in Sicilia gestas. Amilcar, expugnata paene tota Sicilia, dum exercitum Syracusas ducit et hanc urbem oppugnat, Poeni facta obsessorum eruptione fugati et caesi, Amilcar ipse captus est. Cap. 29. Post hanc caedem summa Poeni consternatione afflicti, Amilcar trucidatus, eius caput abscissum ad Agathoclem in signum victoriae transmissum est. Cap. 30. Exercitus Poenorum insuper seditione inter Graecos et Barbaros turbatus. Per hanc opportunitatem Agrigentini duce Xenodico imperium occupant. Syracusani frumenti penuria pressi. Advectae frumentariae naves a classe Punica interceptae. Cap. 31. 32. «Res Siciliae in hoc statu erant.»

Iam res in Africa gestas persequitur Diodorus. Accepto nuntio de caede suorum in Sicilia et morte Amilcaris Poenorum animi fracti et afflicti. Sed eodem tempore Agathocles summum vitae discrimen incurrit, orta in castris seditione ob Lyciseum ducentem a filio Archagatho occisum. Reconciliatis militibus Agathocles Poenos subita incursione opprimit et

nova clade afficit. Cap. 33. 34. «Nos vero persecuti res in Libya et Sicilia gestas animum ad res Italiae advertamus.»

** Ac nunc quidem res Romanae paullo copiosius quam ante enarrantur. Ob Sutrium Romanorum coloniam bellum in Hetruscos ortum. Simul alterum bellum in Samnites tenet Romanos. Superiores Romani. Tum Appius Claudius censor novis institutis bene meret: aqua Appia in urbem deducta, via Appia strata, magistratus cum plebe vulgati. Cap. 35. 36.

Olymp. CXVIII.

Ann. 1. Primo de Asiae Graeciaeque rebus agitur. Ptolemaeus, Aegypto praefectus, Myndo solvens, (vid. c. 19. 27.) pristinum propositum de Graecia liberanda et sibi adiungenda (conf. lib. XIX, c. 61.) ulterius persecutus, in Aegyptum redit. — Cleopatra Alexandri M. soror, Alexandri regis Epirotarum coniux, (vid. lib. XVI, c. 92.) cuius coniugium generis causa duces singuli appetebant, ex invidia Antigoni iussu necata. Cap. 37.

Hinc res in Libya gestas Diodorus adit lustrandas. Agathocles, relicto filio ad Tunetem, Poenorum exercitum ad Numidas, qui defecerant, domandos profectum insequitur, proelioque fundit. Sed Numidae praedantur suorum castra. Captos Graecos Agathocles contra datam fidem extinguit. Cap. 38. 39. Iam augendis opibus intentus Ophellam Cyrenaicae praefectum, (vid. lib. XVIII, c. 21.) magnis promissis inducit ut in armorum societatem veniat. Suscipit hic plurimum mensium iter cum magno exercitu ad castra Agathoclis. Regiones peragranda obiter describuntur, immixto etiam mytho de antro Lamiae. Socium, amicum atque hospitem, cum adventasset, falso in suspicionem insidiarum adductum impia caede opprimit Agathocles, exercitum autem beneficiis captum sibi conciliat. Cap. 40—42. Bomilcar, dum Agathoclem aliis rebus occupatum animadvertit, id tempus maxime opportunum ratus, regnum, cuius dudum cupidus erat, invadere conatur; sed oppressus a civibus supplicio occubuit. — Hoc tempore Agathocles naves spoliis onustas Syracusas misit. Multa tempestate oborta illae mersae. Cap. 43. 44.

** Rerum Romanarum brevis notitia adiecta. Cap. 44 extr.

Ann. 2. Primo res Graeciae narrantur. Demetrius Antigoni filius a patre in Graeciam missus, ut tum alias civitates tum inprimis Athenas, a Cassandro occupatas, in libertatem vindicaret, Athenis eicit Demetrium Phalereum, Cassandri legatum; Dionysium, Munychiae praefectum, cum urbe capit. Ara Servatorum Antigono et Demetrio posita. Tum aliae etiam civitates liberatae. Cap. 45. 46. Inde cum classe et copiis profectus Demetrius Antigoni filius movet in Ptolemaeum, et quidem in insulam Cyprum; ubi commisso proelio Menelaum Ptolemaei legatum fundit, et usque in urbem Salaminem repellit. Sequitur urbis oppugnatio, adhibito ingenti machinarum apparatu, in his nova machina, cui Helepoli nomen inditum. Sed impetum eludit Menelaus, iniecto in oppugnantes igne et machinis incendio vastatis. Cap. 47. 48. Interea Ptolemaeus obsessis auxilio venit cum classe et exercitu. Tum pugna navali decertant. Acies infestae et pugna ipsa describitur, qua Demetrius superior discessit. Ptolemaeus, ingenti clade profligatus, omissa Cypro in Aegyptum se recipit. Cap. 49—52. Ceterum haec ad Salaminem pugna *novorum regnorum* velut *decretoria* erat. Nam ad Antigoni exemplum ceteri etiam duces *regum dignitatem et titulum* sibi sumserunt et arrogarunt. Cap. 53.

„Postquam de his satis diximus, res in Libya et Sicilia singulatim persequamur. «Agathocles ipse quoque regis titulum et insignia suscipit, regisque superbiam factis demonstrat. Uticam, quae defecerat, vi capit, et in cives immanissime saevit. Multis aliis populis et urbibus in ditionem suam reductis, sollicitus de rebus Siciliae in regnum redit. Cap. 54. 55. In Sicilia tum maxime, cum Agathocles adveniret, Xenodius Agrigentorum imperator, (vid. c. 31.) victus erat; quo facta Agathocles loca plura expugnat. Sed supererat Dinocrates exsulum dux, viribus tum longe superior. Cap. 56. 57 pr. Ab hoc tempore res Agathoclis et in Sicilia et in Libya in deterius inclinabant.

In Libya quidem Archagathus et ipse et per legatos aliquantis res prospere gesserat, et multos populos subegerat, progressus usque ad Pithecussas. Cap. 57. 58. Iam vero Poeni, nova belli gerendi ratione inita, Archagathum tripar-

tito aggreduuntur: quo hic copias distrahere cogitur. Duplici clade afflictus a sociis insuper deseritur. Agathocles certior factus de suorum in Libya calamitate, cum classe filio in auxilium venire properat. Ante discessum proelio navali Poenos et terrestri Agrigentinos vincit. Eam victoriam sacris et epulis celebrat. Ingenium regis maxime in epulis proditum. Cap. 59—63. Revertus in Africam res admodum depravatas invenit; mox, dum damna reparare annititur, clade multiplici et defectione militum afflictus in multo peiora incidit. Cap. 64—67. Desperatis rebus, relicta Africa, destitutis filiis et militibus clam abire et in Siciliam refugere parat. Aegre elapsus vinculis, quibus vinctus retinetur, in Siciliam aufugit. Tum vero filios eius milites necant. Carthaginenses omnia recuperant et exercitum relictum in deditionem cogunt. Cap. 68. 69. Admiratur historicus subitam fortunae conversionem et manifestam numinis vindictam. Cap. 70. Redux Agathocles in Sicilia rapinis et caedibus in omnes grassatur. Horrorem iniicit descriptio. Cap. 71. 72.

Ann. 3. Initium fit a rebus Asiae. Antigonus, accito filio Demetrio e Cypro, quem classi praefecit, bello simul terrestri simul navali Ptolemaeum in Aegypto adoritur. Copiarum, elephantorum, navium numerus. Belli impetus erat maximus. Sed aditu ab omni parte firmis praesidiis munito, cum exercitus com metu et frumento intercluderetur infecta re in Syriam redit. Ptolemaeus autem Aegyptum, ante contra Perdicam (conf. lib. XVIII, c. 36 sqq.) defensam, iam altero bello vindicavit et asseruit. Cap. 73—76.

* Interiicitur notatio principum Heracleae Ponticae. Mortuo Dionysio (conf. lib. XVI, c. 88 extr.) succedunt filii Oathras et Clearchus, qui VII et X annos regnant. Alias Diodorus eiusmodi abruptas rerum coaevarum notitias finito annuo cursu velut appendicem adiacere solebat. Cap. 77 pr.

Inde ad res Siculas transit scriptor. Accidit autem quod citra fidem erat. Agathocles post tot adversos casus cum omnes haberet infestos, insuper vero Pasiphilus copiarum dux (vid. lib. XIX, c. 102) cum exercitu ad Dinocratem exsulum imperatorem (vid. lib. XIX, c. 104) defecisset, animo

ita concidit ut principatu abire destinaret et Dinocrati levis-
simis conditionibus pactionem offerret. Cum Dinocrates con-
ditionem non acciperet, mutavit consilium, Dinocratem apud
suos ut hostem libertatis accusavit et cum Poenis pacem fecit.
c. 77—99. «In hoc statu res Siciliae erant.»

** Brevis notitia rerum Romanarum adiecta. Romani
bello urgent Samnites. Cap. 80.

Ann. 4. Primo de rebus in Asia gestis. Rhodiorum res-
publica, opibus reque navali florentissima, adverterat aemulo-
rum regni Macedonici singulorum animos. Ut nullius invidiam
excitarent nec bellis immiscerentur, aequaliter colebant omnes,
ab omni partium studio alieni. Sed cum nihilominus ob mutua
commercia cum Aegyptiis inprimis Ptolemaeo favere videren-
tur Antigonus invidia ductus ab ipsis iam ante auxilia contra
Ptolemaeum poposcerat. Quae cum recusassent, Antigonus
merces eorum intercepit bellumque iis intulit, misso Deme-
trio filio cum classe. Cap. 81. 82. Belli acerrime gesti hi-
storia et oppugnationis descriptio. Cap. 83—87. Rhodii for-
tissime resistunt et navali proelio Demetrium fundunt. Interea
a Cnosiis et Ptolemaeo auxilia subveniunt. Cap. 88. «Atque
in hoc statu tum erat Rhodi oppugnatio.»

In Sicilia Agathocles in Dinocratem ex exsulum exercitum,
cum pacem oblatam accipere noluisse, bellum renovat.
Pugna apud Torgium commissa vincit Agathocles et captos
contra datam fidem obruncat; sed Dinocratem inter amicos
recipit, cuius opera castella et urbes hostium reliquae in ditio-
nem Agathoclis venerunt. Cap. 89. 90.

** Rerum Romanarum brevis narratio. Proelio victi
Samnites. Cap. 90 extr.

Olymp. CXIX.

Ann. 1. Bellum in Rhodios continuatum. Cum a mari
nihil effectum esset, (v. c. 88.) Demetrius aggressus est urbem
a terra oppugnare. Machinarum apparatus: insignis in his
erat helopolis (conf. c. 48.) ingentis magnitudinis, a Diodoro
accurate descripta. Cap. 91. Excellebat Demetrius arte oppu-
gnandi urbes, (conf. c. 103.) qua Poliorcetae cognomen me-
ruit. Cap. 92. Oppugnationum et propugnationum opera atque

fervor. Cap. 93—95. Obsessi commeatu a Ptolemaeo, Cassandro et Lysimacho accepto, in novos impetus sustinendos eriguntur. Cap. 96—98. Adhortantibus Graecarum civitatum legatis, Ptolemaeo, Aetolis, concedente etiam Antigono in aequas conditiones, pacem iungunt. Pacis conditiones additae. Cap. 99. Bene de se meritos Rhodii muneribus et honoribus afficiunt. Cap. 100 pr.

His perfunctus Demetrius iussu patris movet in Graeciam, interea dum aberat, a Cassandro et Polysperchonte occupatam, et in hos parat bellum ad liberandos Graecos. Cap. 100 extr.

* Tum mortuus Eumelus Bospori rex; (conf. c. 21—25.) succedit Spartacus filius, qui XX annos regnat. ib.

Iam ad Siciliam procedit narratio. „Rebus Graeciae et Asiae accurate expositis orationem transferamus ad alias orbis terrarum partes.» Agathocles Liparaeos nulla iniuria affectus iniusto bello subigit, et ipsas in Prytaneo repositas pecunias, Vulcani et Aeoli nomina vel simulacra insculpta habentes, vi aufert. Sed Neptunus extemplo iniuriam ultus immisso naufragio; Vulcanus non ita multo post, cum rex rogo impositus vivus cremaretur, de quo historicus infra plura se dicturum promittit. (Vid. Ecl. lib. XXI, num. 16.) Cap. 101.

** Inter Romanos et Samnites bellum post XXII annos compositum. Cap. 101 extr.

Ann. 2. Omissis aliis solam Graeciam spectat historicus, quo nunc belli vis versa est. Demetrius bellum in Cassandrum et pro liberanda Graecia urget. Capit primo Sicyonem, et expellit Ptolemaei praesidium; deinde Corinthum, tum urbes Aethiopiae, fugatis vel captis Cassandri militibus. «Atque in hoc quidem statu res Demetrii erant.» Cap. 102. 103.

** Adiungitur paullo amplior de rebus in Italia gestis narratio. Tarentini in Lucanos et Romanos bellum gerunt et Spartanos socios advocant, qui Cleonymum cum copiis mittunt. Re male gesta Cleonymus in Corcyram aufugit. Cap. 104. 101.

Ann. 3. Primo res Asiae repetuntur. Cassander ob factos Demetrii in Graecia progressus sibi et regno suo metuens, cum pacem ab Antigono impetrare non posset, Lysimachum in Thracia, Ptolemaeum in Aegypto, Seleucum in Babylonia,

ad bellum contra Antigonum in Asia excitat. Ipse itaque contra Antigonum in Thessaliam, Lysimachus vero contra Antigonum in Asiam movet; qui tamen, cum Antigonus in pugnam procederet, in hiberna se recepit. Cap. 106—109. «Res quidem Asiae tum in hoc statu erant.»

Sequuntur res Graeciae. Demetrius interea Athenis mysteriis Eleusiniis initiatus, cum ultra tenderet, et in Thessalia aditum a Cassandri copiis occupatum videret, classe profectus multa loca recuperat. Sed sollicitus de rebus in Asia gestis, et literis etiam a patre admonitus ut cum copiis ipsi auxilio veniret, res cum Cassandro componit et in Asiam solvit. Cap. 110. 111.

* Hoc tempore Mithridates rex Ponti, (conf. lib. XVI, c. 90. XIX, c. 40) quia suspicio erat eum ab Antigono ad Cassandrum defecisse, occisus est. Eum excepit Mithridates filius. Cap. 111 extr.

Interea Cassander et ipse multas urbes in Thessalia in ditionem accipit, et Plistarchum cum exercitu contra Antigonum in Asiam mittit. Cap. 112. Ex Aegypto etiam Ptolemaeus incursionem in Syriam fecerat, qui tamen falso deceptus nuntio de Antigoni victoria in regnum se recepit. Sed coaluit tamen bellum ceterorum regum in unum Antigonum. Cap. 113. Verum eius belli communis historia proximis libris erat destinata, qui cum sequentibus excerpti tantum supersunt.

GATTERERI
QUAESTIO
DE
OPERIS HISTORICI
A DIODORO COMPOSITI
GENERE AC VIRTUTIBUS.

[Ex Bibliotheca histor. univers. vol. IV. in lat. sermonem
translata et aucta ab I. N. Eyring.]

I. *Diodorus contra iniquas adversariorum
reprehensiones defensus.*

• Cum in universa vita humana et vulgari adeo aliorum hominum usu prudentia opus est, tum in legendis usurpandisque rerum gestarum scriptoribus singularis cura est adhibenda, ut ipsorum ingenia ac mores, fontes, unde sua hauserint, consilia, quae secuti sint, scribendi denique genus explorata habeamus, si fidem ipsis habendam certam atque tutam esse velimus. Tantoque magis ea cura opus est, quanto maior historicorum et numerus est et diversitas. Quamobrem lectoribus haud ingratum futurum esse speramus, si eam curam nunc quidem ad Diodorum convertamus, qui et veterum Graecorum scriptoribus classicis accensetur, eamque ob causam gentis vetustatisque auctoritatem praefert, et multarum rerum apud antiquos populos gestarum auctor fonsque est unicus.

In Diodoro cum alia multa sub examen vocari possint, nos praecipui momenti res ad tria capita putamus redigi posse. Prima quaestio scriptoris fidem spectat, qua inquirendum an ingenio ad investigandam rerum gestarum veritatem apto instructus doctrinaque idonea excultus sincero studio populorum

historias, origines, fata resque gestas indagaverit bonaque fide et accurato iudicio comperta exposuerit. Quod ut cognoscamus, non solum res ab eo relatae cum aliorum scriptorum narrationibus diligenter comparandae, sed fontes, unde eas primum hauserit, auctoresque, quos maxime secutus fuerit, quoad id fieri potest, explorandi sunt. Alter disquisitionis locus est de operis forma, methodo atque ordine, ut constet utrum rerum multarum nonnisi congeriem ac confusam molem exhibuerit, quod ipsum libri nomen prodere nonnullis videtur, an universi generis humani apto ordine dispositam historiam, quam vulgo catholicam appellare solemus. Tandem tertius disputandi locus superest, de boni historici singularibus virtutibus, quae vel ad orationis elegantiam vel ad rerum ipsarum delectum faciendum, vel ad rerum gestarum causas indagandas vel ad explicandum historiae usum aliosque seu instruendi seu delectandi modos pertinent.

Agamus autem de his ita ut primo quidem quae in Diodoro a diversis fuerint reprehensa recenseamus universa, deinde vero singulatim ea tantummodo persequamur, quae partim ad operis totius genus et oeconomiam, partim ad singulas boni historici virtutes pertineant, quaestione altera tertiamque comprehensa; plane itaque praetermissa quaestione prima de fide et auctoritate historiarum Diodori, quippe quam interea expediendam suscepit Heynius, cuius commentationes tres super hoc argumento scriptae huius editionis voluminis primi et secundi initio positae sunt. Proinde quae nobis explicanda relicta sunt, ea duplici scriptione proponamus: quarum haec, quae prior est, de operis historici Diodori genere simulque de nonnullis virtutibus singularibus aget; posterior, quae hanc sequetur, operis ipsius accuratiorem descriptionem complectetur.

Sectio I.

Recensus eorum qui de Diodori opere historiarum inique iudicarunt.

Si veterum scriptorum, ingenii, doctrinae, orationis elegantia et laudibus ita praestantium ut exempli instar nobis

sint, de Diodoro, qui in ipsorum numero habetur, iudicium exstaret, haud dubie auctoritatem non levem haberemus, quam in aestimando huius scriptoris pretio sequeremur. Sed eorum neminem novi, qui vel obiter vel de consilio declarasset quid de Diodoro eiusque opere historico sentiendum putaret. Plinii maioris locus (L. I, 3, 5 ed. Hard.), qui vulgo afferri solet, laudis quidem aliquid continet, sed quod operis potius titulum¹⁾ quam argumentum spectet. Id tamen Iustini Martyris et Eusebii²⁾ testimoniis patet, Diodori historiarum librum apud eruditissimum quemque Graecorum in maximo fuisse pretio, et ob rerum, quas contineret, copiam diligentissime esse lectum. Commemorati ecclesiae Christianae doctores, qui ipsi eruditionis laude erant insignes, honorificentissime de Diodori opere iudicaverunt, eorumque iudicia summae auctoritatis viri recentioris aevi, Jos. Scaliger, Ger. Io. Vossius, H. Stephanus, Deg. Whear, Petr. Wesselingius et novissime Chr. G. Heynius suis suffragiis confirmarunt.

His quamquam egregia nec vana de Diodoro opinio excitari et ali possit, tamen consultum est nec inauditos ab altera parte praeterire eos qui vel severius vel iniquius de Diodori opere pronuntiarunt eique proba intulerunt, ut expensis his

¹ Id apparet e totius orationis nexu; quem ut cognoscant lectores, locum ipsum apponamus integrum. *Inscriptionis, inquit, apud Graecos mira felicitas (festivitas); κηρίον inscripsere, quod volebant intelligi favum; alii κέρασ' Ἀμαλθείας, quod copiae cornu: ut vel lactis gallinacei sperare possis in volumine haustum. Iam Musae, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, λειμών, πίναξ, σχέδιον, inscriptiones propter quas vadimonium deseri possit. At cum intraveris, dii deaque, quam nihil in medio invenies! Nostri crassiores, Antiquitatum, Exemplorum, Artiumque; facetissimi, Lucubrationum, ut qui Bibaculus erat et vocabatur; paulo minus serio Varro in Satyris suis Sesculysem et Flextabula. Apud Graecos desiit nugari Diodorus, et βιβλιοθήκης [-κη] historiam suam inscripsit cet.*

²⁾ Iustin. Mart. *Protrep.* pag. 10: Ὁ ἐνδοξότατος παρ' ὑμῶν τῶν ἱστοριογράφων Διόδωρος, ὁ τὰς βιβλιοθήκας συντεμῶν ἐν τριάκοντα ὅλοις ἔτεσιν. Euseb. *Praep. Ev.* L. I, 6: Ὁ Σικελιώτης Διόδωρος, γνωριμώτατος τοῖς τῶν Ἑλλήνων λογιωτάτοις κ. τ. λ. Horum aliorumque de Diod. Sic. testimonia excerpta reperies a Wesselingio in eius editione Diodori post praefat.

quae notata et reprehensa fuerint, eius auctoritas fiat exploratior ac tutior.

1. *Io. Lud. Vives.*

Primus, isque acerrimus Diodori censor et castigator, erat *Io. Lud. Vives*, Valentia oriundus, Hispanus, qui; quamvis inter literarum instauratores clarus († 1540), Erasmi familiaritate et aliis modis conspicuus, veterumque adeo scriptorum lectione excultus esset, tamen eos ipsos, quorum disciplinae alumnus erat, acerba reprehensione insectatus est, et Graecorum praesertim historicos simul omnes, in his autem maxime Diodorum in vilissimorum et vanissimorum hominum numerum retulit. Afferam ipsa eius verba. Primo in opere *de causis corruptarum artium*, et libro quidem secundo¹⁾, quo multa contra priscos scriptores disputata sunt, Graecorum historicos his verbis perstrinxit: «Graecos multae res ad mentiendum in historia pellexerunt. Primum idem ille patriae amor, quam putarunt se vehementer celebraturos, si magnitudine mendaciorum extollerent, et se de illa optime mereri. Praeter haec in Graecia ingens fuit excellentium ingeniorum copia, tum dicendi facultas prompta et abundans, quae si se intra veritatis limites cohibuisset, non valisset se ipsam ferre tantis viribus luctantem secum et erumpere nitentem; ita quam materiem ex rebus non poterant nancisci, ipsi sinxerunt sibi inusitatam, raram, immensam, admirabilem, stupendam, in qua se vis illa ingenii ac orationis facile exerceret. Sic etiam iudicabant se magis lectori placituros quam illos qui nudam essent et simplicem veritatem persecuti; praesertim quod viderent superiores occupasse laudem verae narrationis, se, si eadem dicerent, fore contemtui nec lectorem inventuros. Quid? quod videbant illa grandia et tragica et fabulosa magis otioso lectori arridere, magnamque sibi parasse gloriam qui illa scripsissent, ut Homerum, Hesiodum, Musaeum, Orpheum et alios priscos poetas. Iam quo minus possent redargui, non ausi sunt de rebus Graecorum mentiri, quandoquidem facile possent domi a multis confutari; longe petierunt histo-

¹⁾ *Opp. Bas. 1555, fol. p. 369 sq.*

riam in qua tutius mentirentur, res Persicas, res Aegyptias, res Chaldaeas desunserunt sibi, ut Herodotus, quem verius mendaciorum patrem dixeris quam quomodo illum vocant nonnulli, parentem historiae; et Diodorus Siculus, quem nescio cur Plinius dicat desiisse primum apud Graecos nugari, cum nihil sit eo nugacius. An defendit eum titulus, quod libros suos non illecebrosa aliqua nuncupatione invidiosos fecerit, ut priores, sed bibliothecae historiam inscripserit?)

Deinde alio tempore alioque libro, quem *de tradendis disciplinis* scripsit, impetum iteravit, iisdem ferme verbis usus. «Diodorus Siculus, inquit, [historiam deducit] ab inundatione, quae sub Ogyge fuit rege Boeotiae, ad sua tempora, id est, ad C. Caesarem dictatorem, quem Plinius nescio qua causa dicat primum apud Graecos desiisse nugari, cum nihil eo sit nugacius, nisi forsitan quod nullum operi suo illecebrosum aut magnificum titulum indiderit, sed inscripserit tantum βιβλιοθήκας. Graeca historia fabulosissima est usque ad Olympiadas, nec quisquam vera a falsis discreverit; sed nec quae deinceps sequitur mendaciis caret, licet paulo verecundior.»

Io. Bodinus.

Cum Vives convicio magis quam argumentis Diodori opus damnasset, at Io. Bodinus, cuius haud multo mitius de eo iudicium fuit, suae criminationi certe causas adiunxit. Disputavit autem in *Methodo historica*¹⁾ in hunc modum contra Diodorum: «Sunt qui Diodorum superioribus conferendum, plerique anteferendum putant: non tamen video quid in eo tantopere admirentur; sive dicendi genus, quo nihil magis vulgare dici potest, sive rationem historiarum spectent. Recte quidem et ordine proponit ea quae initio cuiusque libri dicturus est, seque ipsum breviter colligit, ut videre est initio primi libri, ubi totum opus in libros XL partitur. Sex prioribus tempus omne complectitur ante bellum Troianum; undecim sequentibus a bello Troiano ad Alexandri mortem: reliquis XXIII ab Alexandro usque ab bellum Gallicum. Quod quidem tempus annos centum ac triginta supra mille compre-

¹⁾ Inest in *Artis historicae Penu* Tom. I, p. 60 sq.

hendit, praeter ea quae fabulosa veteres appellant ante bellum Troianum. Ex quo ad Heraclidarum reditum annos supputat XC, secutus Apollodorum; hinc usque ad primam Olympiadem CCCXXVIII, a prima Olympiade ad bellum Gallicum DCCXXX. Haec diligenter. Illustrium quoque philosophorum, historicorum ac poetarum aetates solus e veteribus ad historiam adiunxit. — Sed quod Diodorus in Theopompo reprehendit, idem in Diodoro coargui potest. Ait enim ex libris octo et quinquaginta quinque esse, quorum dubia sit fides: ita ex libris XL Diodori, quorum vix quindecim integros habemus, quinque priores paene ex fabulis conflati videntur, ut Vives nihil eo scriptore nugacius esse putet, tametsi primus est inter Graecos qui Plinii iudicio nugari desiit. Cum vero universitatis historiam scribere proposuisset, totus est tamen in historia Graecorum. Quin etiam prolixior est in unius Gylippi Lacedaemonii concione, (Laconicae brevitatis et suae in Thucydidem reprehensionis oblitus) quam in historia bellorum, quae per Italiam gesta sunt annis fere trecentis; cum tamen longa digressionem de peste Atheniensium et eius causis disputet. Omitto quam absurda sit eius interpretatio de anno lunari, cum homines annos mille ducentos aliquando vixisse crederentur, quasi non his quoque temporibus hanc aetatem multi superarent. Sed cum annos XXX in historia scribenda et regionibus obeundis se consumsisse fateatur, miror cur Italiae finitimae historias adeo negligenter tractarit; praesertim cum florente Romanorum imperio, id est Caesare dictatore claruerit. Nam si quis Livium ac Dionysium cum Diodoro comparet, ubique fere in Romanorum antiquitate discrepantes iudicabit; maxime in ratione Fastorum et Olympiadum, in quibus saepissime labitur. Idque fortassis imperitia linguae Latinae contigisse puto, quo minus scripta Romanorum diligentius inquireret; argumento est quod ubique *Φρούριον* pro Furio scribit, quasi Graeca vox esset. Idem Ancum Horatium pro Marco, Sp. Manium pro Melio, Lactucam pro Lucatio, Trigeminum pro Tricosto. Quod ut librariorum vitio tribuatur, (sic enim opinor) non tamen potest in Consulibus, Decemviris ac Tribunis militum consulari potestate eadem excusatio habere locum, in quibus enumerandis modo tres modo qua-

tuor omittit, totamque Fastorum consularium rationem confundit. Sed haec Caroli Sigonii et Onuphrii Panvini studiis ac labore facile possunt emendari.» — Unde patet Bodini quidem iudicio Diodorum inter historiae catholicae scriptores utique referri, rerumque ordinem, quem secutus sit, et operis universi rationem plane approbari, tanquam ei consilio ac tam late patenti argumento maximopere congruam; sed displicere et reprehendi haec: 1) linguam minus cultam et genus scribendi vel nimis tenue vel vitiis adeo e vulgari usu admixtis inquinatum; 2) fabulas s. mythologiam, historiarum veritati sociatam; 3) narrationis inaequalitatem, profusa in Graecorum rebus luxuria et parca rerum externarum, praesertim Romanarum, expositione conspicuam; 4) commissos contra chronologiam errores crebriores et graviore.

Franc. de la Mothe de Vayer et Io. Terrason Diodori potius defensores et laudatores quam vituperatores.

Quos vero inter veterum scriptorum et praesertim Diodori censores iniquiores positos deprehenderam, *Franc. de la Mothe de Vayer et Io. Terrasonum*, eos lectis ipsorum scriptis tantum abesse comperi ut Diodorum contemnant, ut ipsum potius ab iniqua aliorum vituperatione defendant et operis praestantiam gravissimis argumentis declarent atque confirmant. Inprimis vindicandus *Vayerius*, quem olim errore deceptus Diodori adversariis socium¹⁾ adiunxeram, cuius ipse erat admirator ac patronus. Inter eius iudicia²⁾ de principibus veterum Graecorum et Romanorum historicis disputatio quoque est de Diodoro Siculo, cuius summam hic quam brevissime proponam. Ac primo statim felicem praedicat eius patriam, Agyrium et universam adeo Siciliam, quod clara fuerit cive (tali), sine cuius opera omnis paene antiquitatis multarumque rerum, quae eam memorabilem fecerunt, esse-

1) In *Allgem. Hist. Biblioth.* V. IV, p. 6.

2) *Jugement sur les anciens et principaux Historiens Grecs et Latins, dont il nous restent quelques Ouvrages*, post eius *Discours de l'histoire*, in *Oeuvres de Franc. de la Mothe de Vayer*. Paris. 1662, f. p. 514 seqq.

mus ignari, quique triginta annorum labore suscepto, peractisque cum maximo periculo multis itineribus, accuratam terrarum, populorum, rerumque ab his gestarum cognitionem comparasset, opusque historicum composuisset, quod multorum scriptorum bibliothecae vicem vere sustineret. Deinde totam fere disputationem convertit ad refellendas criminationes a *Vive* et *Bodino* contra *Diodorum* allatas. Atque hanc scripti partem in nostros de *Diodoro* commentarios totam transferamus. Probra, inquit, a *Lud. Vive Hispano* *Diodoro* obiecta non maioris momenti sunt iquam ea quorum *Bodinus Gallo-Francus* ipsum inculpavit. Talia probra non sunt probro. Alter in stilo atque verbis reprehendendis substitit, alter ipsum historiae corpus resque, quibus compositum est, oppugnavit. Quod si *Vivi* fidem habeamus, Bibliotheca *Diodori* historica nil vanius est, et *Plinius* in gravissimo errore versatur dictitans *Diodorum* inter *Graecos* primum fuisse qui seria tractaverit et a scribendis nugis abstinerit. At negandum tamen non est talis viri qualis fuit *Vives*, tum quidem, cum viveret, doctissimi et patriae suae unici ornamenti, accusationem esse gravissimam. Neque ignoramus praeter eum alios quoque viros, ut *Pighium* et *Sigonium*, quos esse de erroribus, quos *Diodorus*, corruptos fastos secutus, in *Chronologia* commiserit. *Vivem* haud dubie *Augustini* etiam auctoritas movit. Nam cum in eius libros de civitate *Dei* commentatus esset, non potuit non animadvertere quanta indignatione summus ille ecclesiae doctor *Aegyptios* (*L. XVIII, c. 40*) persecutus sit, qui dicerent se inter libros suos habere commentarios centies mille annorum, quod *Diodorus* non reprobavit. Quid? quod is ipse hunc numerum supergressus est (*L. II*), commemorans ingentem rerum coelestium notitiam a *Chaldaeis* comparatam, qui observationes iactarent 472000 annis *Alexandri M.* expeditione *Asiatica* antiquiores. Iam ante autem dixerat (*L. I*), *Aegyptiorum* alios decies, alios vicies mille annos inde ab *Iside* et *Osiride* usque ad *Alexandrum M.* numerare, primosque eorum reges, qui dii fuerint, singulos 1200 annos regnasse. Talibus haud dubie offensus *Vives* ultro controversiam movit in *Diodorum*, quem a *Plinio* non nisi ob operis titulum vult laudari, quod hic certe ridiculam vanitatem vel

insolentiam, quam reliqui Graeci in operum inscriptionibus sectati fuerint, primus deposuit.

Quamquam autem inde maxime ducta sit egregia laus, quam Diodoro Plinius tribuit, *primus apud Graecos desit nugari Diodorus*, tamen interpretatione plerumque eadem ad universam bibliothecam accommodari solet. Quamobrem plane iniurium est, si qui Vivem secuti pronuntiant eius historia nil esse vanius, nil incertius. Nam primo Aegyptiorum Ephemerides et astronomicae Chaldaeorum computationes nullo alio consilio commemoratae sunt quam ut inde intelligeretur quae vulgaris populorum istorum opinio fuerit, nullo addito argumento, quo constet his ulla ratione fidem esse habitam. Tantum absuit ut hoc faceret, ut potius libro secundo expressis verbis profiteretur ingens illud temporis spatium, quod e Chaldaeorum philosophorum placitis Alexandri victorias praecessisset, se nequaquam sequi posse. Deinde autem, quod ad fabulas spectat totamque mythologiam quinque prioribus Diodori libris comprehensam, plane persuasum habemus eam non solum non vituperandam vel contemnendam, sed tanquam pretiosissimum antiquitatis monumentum habendum ac tuendum esse. Quoque minus dubites, memineris, cum multas alias fabulas gravissimo consilio compositas exstare, nisi forte Timaeum Platonis multaque alia maximi pretii opera tanquam res inanes abiicienda putes, tum illas maxime, quas Diodorus literis mandavit, universam idololatrarum Theologiam tradere, adeo ut hos quinque Diodori libros *sacrum gentilismi codicem* appellare liceat. Ili certiores nos reddunt quid gentes profanae de aeternitate et de creatione mundi crediderint. Primorum hominum originem iisdem descriptam deprehendimus, e commentis ingenii humani, divina institutione et antiquorum monumentorum fide destituti; ac praeterea universam Aegyptiorum Theogoniam, unde Graeci suam derivaverunt, cuius nos, si Diodoro careremus, plane essemus ignari. Est adeo Diodorus post sacros Hebraeorum scriptores primus, qui historiae suae initium ab ortu universi fecit, quemadmodum Moses a creatione mundi. Quare si iniquo fato destinatum fuit ut tot aliorum scriptorum opera interirent, causas haud leves habemus cur Diodori libros quos nobis fors haud invidit,

summo studio amplectamur, eoque contra iniquam Vivis eiusque similium criminationem defendamus. «— Ita Vayerius, gravissimis argumentis contra Vivem disputans ipse Diodori vindex factus est.

Maior in *Io. Terrasonum* suspicio, ne Diodori contemptoribus accensendus esset, excitata est a *Dalemberto*. Hic in elogio¹⁾, quod ei scripsit, refert vulgo credi Terrasonum Diodori Siculi interpretationem Gallicam, ab ipso diligenter factam multisque laudibus exceptam, nulla alia causa in lucem edidisse quam ut ita pateret quam caeci sint veterum scriptorum admiratores. Nam cum conveniens fuisset similem cum simili, Homerum comparare cum Miltone, Demosthenem cum Bossueto, Tacitum cum Guichardino vel forsitan nullo omnino, Senecam cum Montagnio, Archimedes cum Newtono, Aristotelem cum Cartesio, Platonem et Lucretium cum Bacone; at vero mala fide Terrasonum egisse, et veterum causam prodidisse videri, qui recentioribus opposuerit Diodorum Siculum, historicum credulum, scriptorem inferioris ordinis, et ipsa interpretatione, quamvis haud mala, magis depravatam. Verisimilitudinis speciem accepit haec accusatio eo quod in celebri illo certamine de veterum ac recentiorum scriptorum principatu, Terrasonus edita 1715 Dissertatione contra Homeri Iliada ad Lamottii partes inclinare et contra Dacieriam pugnare videbatur. Sed quamvis haec ita sint, tamen falso crimine accusatus est. Namque praeterquam quod nemo facile tam longum et ingratum laborem eo consilio subire solet ut interpretando in contemptum adducat alterum, cuius librum in aliam linguam verterit, primo Terrasonus in praefatione multa in laudem operis dixit, utpote quod inter veterum monumenta praecipuae dignitatis et utilitatis esset; deinde teste ipso Dalemberto tanta huic viro probitas, sinceritas, severitas atque constantia inerat ut a tali simulatione atque fraude longissime abfuisse putandus sit.

3: *Burignius*.

Commemorandus praeterea est *Burignius*, historiae Sici-

¹⁾ V. D'Alembert *Melanges de Literature d'histoire et de Philosophie* (Berl. 1733) Tom. I, p. 317 seq.

liae scriptor haud ignobilis, qui in praemissa operi¹⁾ commentatione de antiquis Siciliae historicis in hunc modum contra Diodorum eiusque bibliothecam disputavit. «Quamquam, inquit, Diodorus fama inter antiquos nobilissimus sit, tamen facile animadvertendum ei iudicii subtilitatem et elegantiam exactamque diligentiam defuisse; si ipsum cum reliquis antiquitatis scriptoribus, qui easdem res persecuti sunt, comparemus. Index archontum, quem exhibet, admodum vitiosus deprehenditur. Nihil vero minus perfectum est quam quod super historia Romana commentatus est; consulum annos confundit, eorumque nomina plerumque corrupta exhibet. Qui ultimis annis Olympiadis LXXIII consulatu functi sunt, eos in annum primum Olympiadis LXXV transponit: qui quidem anachronismus quinque annorum per operis partem haud exiguam continuatur. Subinde accidit ut singulorum consulum mentionem omnino omittat, alios contra nominet, qui hunc magistratum nunquam adierunt, alios in alterum annum consules faciat, quorum imperium nonnisi unius anni fuit. Similiter magistratus commemorat, qui imperio Romano per quinque annos praesuerint, in nullo omnino alio historico obvios. (Conf. L. XVII, 110, L. XV, 112².) Verbo ea tota operis pars, quae *historiam Romanam* continet, per summam negligentiam tot tantisque erroribus est repleta ut nusquam tutum sit ea uti; quo constat quam vana ac temeraria fuerit audacia, qua comparatam linguae Latinae notitiam et diligentem Hist. Rom. commentariorum ac monumentorum usum iactavit. Ergo recentiorum doctissimus quisque parvi aestimarunt Diodorum. *Vossius* tantam esse errorum in historia Rom. vim asserit ut appareat eum vitiatos fastos esse secutum; atque ita *Bodinus*, *Sigonius* et *Pighius* censuerunt. *Dodwellus*³⁾ cum summo contemptu de Diodoro loquitur.»

4. Comes de Caylus.

Propositae virorum doctorum admonitiones argumentum resque ipsas spectabant a Diodoro literis mandatas, ac prae-

¹⁾ *Hist. generale de Sicile*. Tom. I, p. 26 seq.

²⁾ V. praefat. ad vol. 2, p. V s.]

³⁾ V. *Annales Thucydideos* p. 58 et 248. [Conf. vol. 3, p. XIX s.]

cipue chronologicam earum rationem. His itaque ultimo loco adiungenda est censura *Comitis de Caylus*, qua narrationis indoles, operis historici dispositio, seu rerum deligendarum et apte collocandarum ratio, studium ad eventorum causas effectusque explorandos vel expendendos adhibitum, denique auctoris ipsius ingenium et iudicium, suscepto opere et maxime rerum delectu et usu declaratum, sub examen vocatur. In *Caylo* cum et ingenium et doctrina emineat, quae utraque virtus diuturna lectione et accurato antiquae historiae atque antiquorum artis monumentorum studio exulta, editisque summae eruditionis operibus demonstrata est, haud dubie viri tanta eruditione et sollertia praediti iudicium memoratu dignissimum et gravissimum videri debet. Is quidem Academiae Inscriptionum et bonarum literarum Parisiensi *Commentationem de antiquorum Historicorum et praecipue Diodori Siculi virtutibus vitiisque* exhibuit, cuius epitomen Historiae eius Academiae Tomo XXVII insertam, quatenus ad Diodorum Siculum pertinet, Latine versam post reliquas huius historici castigationes in medium proferamus. «Diodori praefatio, inquit, velut in parva tabula historiae universae et totius generis humani fata complectentis speciem pulcherrime depictam exhibet. Quidquid de scribenda historia praecipit, rationi et verae philosophiae consentaneum est, rei que propositae accuratam peritiam et proinde doctum intelligentemque historici operis existimatorem prodit, adeo ut proposita historiae imago, cui vere inest decor et maiestas, praeclaram de eius ingenio excitet opinionem, ac sensum iudiciumque veri et decori arguat, seculo Diodori i. e. Iulii Caesaris et Augusti exultum eoque dignum; seculo, inquam, quo quidquid Roma in omni genere literarum praeclari habuit, ad summum splendorem pervenerat. Sed id ipsum artis historicae specimen, quod in operis fronte velut eximium ornamentum nitet, pro operis ipsius ratione, cuius eximiam magnitudinem et praestantiam annuntiat, incongruum est. Dicis Diodori animum tum maxime, cum prooemium scriberet, a superioris aevi Graecorum historicorum lectione recentem fuisse, spiritusque inde digniores cepisse. Vis, quam illorum scripta in animum habuerunt, et summa eorum admiratio, qua tanquam benigniore

igne incaluerat, ad id temporis momentum maiorum rerum cogitationem progenuerunt. Mox vero suo exemplo demonstravit facilius esse rerum gerendarum praecepta dare quam exsequi. Nequidquam animus ad altiora tendit, adversante et repugnante natura. Quoties bonus Diodorus in narrationibus suis a praeceptis ac placitis aberrat in prooemio propositis! In fabularum explicatione, ecce sua commenta iis, quae nationes opinabantur, quarum mythologia erat tradenda, substituit. Iam quidem quae ipse opinatur et disputat, per se absurda non sunt; at non suae magis quam Aegyptiorum aliorumque populorum, de quibus ageret, opiniones erant enarrandae. Praeterea ab historico iure postulari potest ut philosophi instar rationis humanae magis minusve cultae historiam, ac secundum eam felicitatis humanae incrementa et decrementa diligenter observet et operi suo intexat. Quamquam enim Graecorum historicis omnibus id vitium commune est ut huius rei nullam aut levem habeant curam, tamen nemo eorum magis quam Diodorus hanc rem neglexit. Aegyptiorum peculiare opiniones rerumque ideas ab iis primum suo modo et e suo ingenio conceptas, quas Graeci secuti nec minore ambitione quam arte imitati sunt, praeteriit omnino non animadversas. Ne multa; etsi Diodorus doctam obiit peregrinationem, multorumque annorum laborem, quo ad perficiendam bibliothecam opus esse putabat, rebus inquirendis et colligendis impendit, tamen facile intelligi potest eum, si cum summis Graecorum historicis comparetur, admodum mediocri praeditum fuisse ingenio. Sed cum universam paene seculorum seriem a prima origine usque ad suam aetatem persecutus sit, eius historiae lectio nihilominus perutilis, quid? quod necessaria est. Nam quanta rerum copia alias non obvia vel in ea operis parte, quam solam habemus reliquam, continetur!» — Ita post reliquos Caylus de Diodoro iudicavit.

Iam autem auditis adversariorum rationibus iuvabit quae a singulis singulatim in Diodorum prolata fuerint in summam contrahere, ut planius intelligamus quae amplius et accuratius disquiri et explorari debeant. Omnia redeunt ad haec accusationis capita:

1. *In fabulosa populorum historia, quae ab historica*

*veritate sciungenda erat, tanquam in re magni momenti Diodorum versatum esse. Sed hanc vanitatis et nugarum accusationem, a Vive et Bodino contra Diodorum institutam, ipsam vanissimam esse inde potest intelligi, quod omnium populorum prima aetas erat mythica, ab historico tanto minus praetereunda, quanto magis constat primo ortu linguam quamvis fuisse mythicam, omnemque rudiorum populorum historiam, religionem et sapientiam mythis s. fabulis comprehensam. Haec una observatio totam Vivis accusationem refellit. Itaque ab hac parte nihil vitio aut culpae Diodoro dari potest, nec ampliore defensione opus esse videtur; qua *Henr. Stephanus* functus est in *brevi Tract. de Diodoro eiusque scriptis*, et *Heynius* in Prooemio ad *Commentat. I. de Diod. fide et auctoritate*, circa finem. Horum prior et gravissime et verissime pronuntiavit: *Haec et alia, quorum consideratio virum iudicio praeditum decebat, si consideravisset Vives, non tam aperte, dum Diodorum nugacem appellat, nugatus ipsemet fuisset.**

II. *Contra chronologiam multis modis multisque locis, praesertim in historia Romana, peccatum esse. Hoc probrum, fateamur, non plane diluendum. Quamquam enim Henr. Stephanus (in brevi Tract. de Diod. Sic.) praedicet cum res gestas tam diligenter et accurate atque adeo exacte temporibus distinxisse ut hac in re palmam inter historicos obtinere videretur, nec ipse tamen reticuit in archontum et consulum annis atque nominibus multos obvios esse errores, et alii viri doctissimi et chronologiae peritissimi, ut Car. Sigonius, Io. Bodinus, Laur. Rhodomannus, praesertim H. Dodwellus in Annual. Thucyd. multis locis observarunt confusas esse annalium rationes, consules Romanorum vel omissos vel male collocatos vel corrupto nomine appellatos. Quae cum ita sint, ne operam perdamus in purgando et defendendo Diodoro, sed ut ad manum sint accuratae tabulae et subsidia alia chronologica curemus, quibus tum, cum aberraverit Diodorus, admoneamur et regamur, ne eius aberrationes nos confundant. Quin ipsa editorum cura huic rei debet prospicere.*

III. *Orationem minus quam deceat ad elegantiam cultam et expolitam esse. Haec quidem inprimis Bodini accu-*

satio est, supra ipsis eius verbis proposita. Diodorum vel defenderunt vel excusarunt cum *Rhodomannus*, tum *Wesse-lingius*, uterque in suis ad Diodorum praefationibus. Primo opposuerunt *Photii* ¹⁾ auctoritatem, qui genus scribendi historiam vel maxime accommodatum praedicavit, mediocre quidem nec admodum ornatum, nec tamen vernaculum vel plebeium, sed purum et perspicuum; rati Photio tali in re maiorem quam Bodino fidem habendam esse, utpote Graecas literas mediocriter intelligenti. Tum, si quae forte obvia sint, quae Herodoti, Thucydidis, Xenophontis elegantiae adversari videantur, excusationis causa admonuerunt Diodoro Sicilia oriundo et ob patriam dialectum et ob seculum, quo linguae Graecae indoles iam corruptior erat, nonnulla esse ignoscenda. Nos vero putamus in scribendi genere, quo Diodorus usus est, permulta utique inesse, et singula verba et universam sermonis structuram spectantia, quae ipsi sunt propria et a melioris aetatis scriptorum dicendi more abhorreant, tum demum accuratius observanda et explicanda, si forte ex Heynii auctoritate Extero placuerit huic Diodori editioni Indicem Graecum pleniorum vel Glossarium adeo adiungere, a quo conficiendo nec ego sum alienus.

IV. *Aliarum gentium res, notiones, religiones, transformatas esse in Graecas.* Pluribus id improbatur, et in his Caylo; nec id quidem immerito, cum res ipsa in dubium vocari non possit: et tamen in promptu est, quod pro Diodoro dici possit. Primo temporis et gentis commune, non Diodori proprium, erat id vitium: deinde verosimile est monumenta Aegyptiacis literis vel hieroglyphicis exarata mature in Graecam linguam esse translata, itaque per Graecam interpretationem modo a Graecis interpretibus modo ab Aegyptiis Graece doctis admodum corrupta; Graecis proinde in Aegypto pere-

¹⁾ Κέχρηται δὲ φράσει σαφεῖ τε καὶ ἀκόμψῳ καὶ ἱστορία μάλιστα προεπόση: καὶ μήτε τὰς ὡς ἂν εἶποι τις λίαν ὑπερητικισμένας ἢ ἀρχαιοτρόπους διωκῶν συντάξεις μήτε πρὸς τὴν καθωμαλισμένην νεύων παντελῶς, ἀλλὰ τῷ μέσῳ τῶν λόγων χαρακτηριστῆρι χαίρων, φεγγων τε τροπᾶς καὶ τὰλλα πλὴν τῶν παρ' Ἑλλήσι μυθολογουμένων θεῶν τε καὶ ἡρώων, ὅσα τὸ ποιητικὸν ἔθνος νέμεται.

grinantibus omnia e fontibus Graecis fuisse haurienda. Denique Diodorus sequitur alios Graecos scriptores, qui ad *Graecas religiones Aegyptiacas deflexerant*. Sed id ipsum argumentum, quod pro Diodoro adhiberi iure debet, planissime et doctissime explicuit Heynius in *Comment. I.* p. L, LIV seqq. p. LXII seq. Quare amplius in eo non commemorabor.

V. *Historiam neque pragmaticam neque philosophicam esse*. Hoc quoque Diodoro a Caylo obiectum esse vidimus, qui propterea historici ingenio ut hebetiori insultavit. Iam quidem causas rerum saepe abditas et abstrusas indagare vel coniectura assequi, et super hominum ingeniis moribusque, rerumpublicarum constitutione, quidve vel vitiosi vel boni habeant, subtiliter et copiose disputare, quin locus sit ubi id utique optabile videatur, quis dubitabit? Sed quam parum id in Diodoro fuerit laudabile, quantopere potius ab eius opere scribendique consiliis alienum, facile iudicabis, si memineris Diodoro omnium populorum et aetatum historias uno opere complecti propositum fuisse; satius itaque fuisse rerum gestarum summam narrare quam super singularum rerum argumentis disputare. Id adeo gratum sit lectoribus materiam historicam ita congestam exhiberi ut proclive fiat *aliis* iudicandi et disputandi libidini indulgere. Quamobrem quod vitio nonnulli Diodoro vertere conati sunt, in laudem facit; tantoque eam certiore putamus quanto eam magis Heynii iudicio (in *prooemio ad Commentat. I de Fontib. et Auctorib. historiar. Diod. vol. 1, p. XXXVIII, seq.*) assertam et confirmatam intelleximus.

VI. *Universam operis descriptionem vitiosam esse, nec auctoris consilio nec artis historicae regulis congruentem*. Scilicet internis multum perstrictis, restabat ut externam libri formam impugnarent. Haec recentissima disceptatio erat, ab I. A. Ernesti mota, quam integram proxime sequenti sectioni reservandam duxi, ubi et controversiae causas, et quid iis expensis atque opere ipso ad regulas artis explorato existimandum sit, pluribus sum expositurus.

Sectio II.

De genere operis historici a Diodoro compositi.

Cum ambitu formaque externa historiarum descriptiones diversae sint, opera historica in species plures dividi solent. Id intelligendum, si de genere operis a Diodoro compositi quaeritur. Quamquam vero multi multa de Diodoro eiusque bibliotheca disputaverint, tamen nemini in mentem venit quaerere in quam librorum historicorum classem id opus referri debeat. Credo, quia omnes pro certo accipiebant id *historiam catholicam* continere. Sed aliter visum *I. Aug. Ernesti*, qui primus eam rem in controversiam vocavit. Is in praefatione ad primum volumen historiae universalis per Anglos *Guthrie* et *Gray* exaratae, et in linguam Germanicam cum *Heynii* aliorumque virorum doctorum annotatione translatae, exposita ante historiae universalis notione, expressis verbis asseruit veteres historicos eius omnino ignaros fuisse, nec Diodoro propositum fuisse eius generis opus suscipere. Utar eius ipsius verbis. «Apparet; inquit, totam antiquitatem, alioquin praestantissimis omnis generis exemplis abundantem, nullam exhibuisse *historiam catholicam*, tametsi haec isto tempore *minus* late pateret, et e fontibus multo quam nunc facilius hauriri posset. Concedamus multis id videri Diodoro propositum fuisse ut *historiam* quam dicunt universalem scriberet; sed id verum eius consilium esse vix potuit. Cum operis inscriptio, tum res ipsa argumento sunt. Voluit *bibliothecam historicam* condere, i. e. *collectam historiae catholicae materiam* exhibere, ex optimis cuiuscunque generis historiarum scriptoribus excerptam, unde olim aliquis ingenio et stilo praestans *historiam catholicam* contexere posset. Certe opus quale e reliquiis cognoscitur aliud nihil erat.» — Itaque hac sententia *historiae catholicae* ratio ab hoc opere plane abiudicata est.

Iam cum iudicium a viro summae eruditionis et auctoritatis profectum omnino vanum esse non possit, sed certissime aliquo fundamento nitatur, at vero alii omnes, et in his quoque ingenio doctrinaque praestantes viri, diversam sequantur opinionem, dispiciendum est quae res *Ernestium* induxerit ut

quod cunctis sententiis erat tributum, suo id arbitrio tolleret. Nos quidem putamus in verbis potius quam re omnem controversiam versari. Primo quod ex operis titulo ductum est argumentum nihili est. Quidni enim liceat historiae catholicae, quae e tot singularum nationum historiis congesta sit, *bibliothecae* nomen imponere? Deinde in ipsa historiae catholicae notione multum inest ambigui, quandoquidem sub eodem nomine plures species ambitu et methodo diversae comprehenduntur, quas multi rem obiter contemplantes confundunt nec satis accurate discernere solent. Quamobrem ante omnia specierum discrimina, quae communi historiae catholicae nomine designantur, explicanda sunt; tum demum autem decerni potest ad quam speciem singuli historicae catholicae scriptores referendi et ad quam normam iidem sint diiudicandi.

In hoc omnes conveniunt *historiae catholicae* esse *conditores*, quicunque omnis aetatis historias uno opere complectantur; differunt autem ambitu, delectu, methodo. Ad haec respiciens quadruplex librorum sub communi nomine historiae catholicae comprehensorum discrimen seu quatuor eorum classes observari, quae hic recensendae sunt, si unius classis exempla, et in illis observatum delectum et adhibitam methodum, cum Diodori opere comparare velimus.

Unum genus ad hoc inventum atque factum est ut aetatum vices, sive temporum, populorum, regnorum successiones, in rudiorum usum primis et crassioribus lineis distinguerentur. Id *rudimentum novitiorum* appellare licet. Vulgo religionis historiam fecerunt principium, secundum quod eorum regnorum series est secuta, quorum imperio credebant terrarum orbem a numine inprimis subiectum fuisse. Sponte intelligent omnes hanc quatuor Monarchiarum methodum esse, potius ex Danielis vaticinio ¹⁾ in eam partem accepto, et ex opinata eorum regnorum ad religionem divinitus traditam ratione, quam e rei natura sumtam. Tametsi rudiori institutione ad accuratiorem historiae catholicae cognitionem praeparandi erant animi, tamen non conveniebat adoptare eiusmodi ratio-

¹⁾ Vid. Ioan. Sleidani de quatuor summis imperiis lib. I, p. 18, et lib. II, p. 368 seqq.

nem, quae falsam animis opinionem inferret, regnorum et populorum aliorum maxime memorabilium memoriam tolleret, et historiarum studium universum corrumpere. Alii subinde in hac methodo nonnulla emendarunt, eamque ipsam multis modis aptiorem reddiderunt: alii in eius locum substituerunt aliam rationem, ut vel solam patriarcharum, Israelitarum et Caesarum historiam omnis historiae vel chronologiae fundum atque normam facerent, cui deinceps aliorum populorum historia secundum temporum periodos adliceretur et interpolaretur; vel e tribus reliquis methodis mox describendis unam ad rudiorum usum accommodarent.

Alter modus est plenior populorum regnorumque praecipuorum delectus per synchronismum propositus seu epochis communibus accommodatus ita ut diversarum gentium res coevas facilius fiat comparare. Est itaque mixtum historiae catholicae genus, compositum e duplici methodo, cum chronologica per maiores minoresque periodos ducta, tum ethnographica, secundum singulos eosque nobiliores populos in singulis periodis obvios. Huius methodi inter recentiores principem habeo Christoph. Cellarium; quem secuti sunt viri doctissimi, qui eam magis expolirent, historiamque ita traditam uberiore rerum gestarum expositione pleniorum et ornatiorum redderent. Sed successerunt etiam qui hanc viam corrumpere, modo temporum intervallis praeter rationem factis, modo proposita rerum temere coacervatarum turba, in qua et delectum et idoneorum auctorum usum requiras; cuius generis opera nec usu tuta nec lectu iucunda sunt. Ceterum haec ratio, dummodo historia ad eam composita sit diligenter elaborata, simul tradendis populorum rebus gestis, simul diversis lectorum ingeniis, ordine regendis et adiuvandis, narratione autem instruendis et delectandis, percommoda est. Quod autem in tanta librorum multitudine ad hanc rationem factorum et historiae catholicae titulum praeserentium pauci praestant, plurimi vero nullius sunt pretii, id argumento esse potest ad id operis suscipiendum et cum laude perficiendum ingenio iudicioque haud mediocri, accurata et multiplici veterum scriptorum lectione, eximia denique doctrinae copia opus esse.


Tertium genus historiae universalis plenissimum quidem

est, at nulla paene vel exigua compositionis arte insigne. Singularum rerumpublicarum, regnorum, populorum historiae singulatim exhibentur, dispositae quidem ad quandam successionis legem, ceterum nullo alio nexu nisi quem tituli communio praebet iunctae. Singulae autem partes plenissimam omnis generis rerum memorabilium descriptionem continent, sive illae ad rempublicam administrandam defendendamque pertineant, sive ad sacra sive ad artes et disciplinas sive ad coeli aerisque naturam ac terrae proventus spectent. Quae verissime *Corpora historica* vel *Bibliothecam historiarum* appellare licet. Maximum huius generis opus virorum doctissimorum in Anglia societas paravit, auctum deinceps, emendatum et expolitum Germanorum doctrina et industria. Sed in eiusmodi opus, quantum quantum est, illud Senecae dictum cadit: multum adhuc restat operis multumque restabit, nec ulli nato post mille secula praecludetur occasio aliquid adhuc adiciendi.

Restat quarto loco exquisitior ratio, quae non tam *universa* amplectitur quam potius ea seligit *quae ad universum spectant*, alias vero res admittit nullas nisi quae ad universum genus humanum praecipuam vim habuerunt. Omnia hic eo tendunt ut communem populorum rationem et orbis terrarum grandiores vicissitudines cognoscas, adiuncta causarum et effectuum accurata explicatione. Cernitur itaque haec H. U. notio: 1) selectu talium populorum, talium imperiorum, talium rerum gestarum, talium denique hominum, quorum ad generis humani universi, certe plurium populorum felicitatem vel augendam confirmandamque vel imminuendam turbendamque bellis, imperiis, legibus, institutis, inventis, praecipuum fuit momentum. 2) Ordine ac distributione, quae tali selectui talique consilio sit apta, quaque et rerum populorumque synchronismus fiat evidentior et mutuus gentium rerumque nexus clarius cognoscatur. Res itaque et viri grandiores, conversiones insigniores, eventus maximi ad distinguendas temporis epochas. 3) Causarum et effectuum perspicua explicatione, qua pateat quibus rebus factum sit ut in quovis aevo orbis terrarum conditio et plurium populorum fortuna vel peior vel melior facta sit. Possis hanc H. U. ra-

tionem *philosophicam* vel *politicam* appellare, si a reliquis tribus singulari nomine distinguere velis. Quemadmodum vero is, qui talem generis humani historiam animo propositam habet, accurata singulorum populorum notitia, philosophiae et disciplinae politicae studio instructus esse debet, si singula comparare et quantum singula ad genus humanum excolendum valuerint cognoscere velit; ita haec ipsa ratio ad institutionem tironum parum idonea esse videtur, nisi hi elementari disciplina et praecipuorum populorum particulari historia ante fuerint praeparati. Nam nulla ante rerum, super quibus philosophis, copia comparata omnis philosophandi conatus vanus est. Talem historiae catholicae ideam si Ernesti animo conceptam habuit, eamque solam hoc nomine dignam aestimavit, non iniquum sane est eius iudicium, quo Diodorum e numero eorum, qui historiam catholicam scripserunt, exemit. Nimirum in enarrandis rebus et tradenda historia hic potius quam in philosophia super rebus gestis versatus est. Tum autem erratum in eo quod pauciora quam quae loquendi usus postulabat sub eo nomine complexus est.

Iam itaque expeditiora sunt secundum quae iudicium de genere operis a Diodoro compositi faciendum erat. Principio quandoquidem veri nominis historicus quatuor rebus cernitur, perspicua rerum gestarum narratione, delectu, ordine ac fide, cuncta autem haec in Diodori opere reperiuntur, suo iure ac merito ipse in historicorum numero habendus, contra Ernesti sententia reprobanda, qui operis titulo deceptus putaverat eonon nisi indigestam rerum molem undique temere conquistam contineri, eiusque auctorem praeter exscribendi et compilandi sedulitatem nihil quod historici laude esset dignum praestitisse. Deinde cum ab historiae catholicae conditore praeter ea quae cum reliquis historicis communia habet officia, praecipue hoc postuletur ut *omnium aetatum historias uno opere complectatur*, vel e rebus humanis *ea quae ad universum genus spectaverunt* collecta et ordine proposita exhibeat, quis dubitabit Diodori opus primis historiae catholicae periculis et exemplis accensere? praesertim si reputaverit, 1) eam ipsam historiae catholicae ideam, eiusque adeo



scribendae consilium, in operis praefatione¹⁾ et alibi propositum esse; 2) id apparere ex comparatione operis simul cum historicis particularibus, simul cum populis tum maxime cognitis et claris, quorum omnium historiam id opus complexum est; 3) ipsamque operis totius eiusque partium descriptionem s. oeconomiam, infra a nobis exhibendam, id prodere; 4) tantum abesse ut operis titulus adversetur, ut potius hic eidem consilio et argumento declarando aptissimus sit, *historiam collectam cum plurium populorum, tum e pluribus scriptoribus* historiae particularis variis congestam et in unum comportatam, indicans. Quam verbi vim Diodorus ipse declarat et confirmat, pronuntians se κοινὰς πράξειςⁱ, h. e. plurium populorum vel ad plures populos pertinentes res esse perscripturum. 5) Viros denique doctissimos et gravissimos una mente ac voce consentire in hoc ut Diodori opere historiam catholicam contineri asserant. E pluribus sufficiat *Henricum Stephanum*,²⁾ *Wesselingium*³⁾ et *Heynium*⁴⁾ nominare, quorum virorum auctoritatem haud vanam esse existimandum est. Iam vero, quatuor propositis historiae catholicae formis, si quaeras quacum maxime conveniat ratio quam Diodorus secutus est, non dubito quin omnes facile intelligant eius opus referendum esse ad id historiae catholicae genus, quod altero loco a nobis descriptum est, in quo per epochas communes praecipuorum populorum res enarrantur. Communes epochae vel maiores periodi sunt tres: I. Res ante bellum Troianum. II. Res gestae a bello Troiano ad Alexandrum M. III. Principum populorum historiae usque ad C. Caesaris bellum Gallicum. Periodis maioribus subiunctae divisiones et collocandi rationes non eadem. In prima periodo ethnographica est descriptio, ut singulatim recenseantur singulae nationes. In

¹⁾ P. 6 et 7.

²⁾ In *brevi Tract. de Diodoro et eius scriptis*.

³⁾ In *Dedic. Diodori* ed. *Cum alii*, inquit, *singularum nationum res tradiderunt, at hic omnium orbis nationum historias ab ultima origine repetitas complexus est. Tot res tan varias animo capere arduum est; quid inter se componere, et ordine, ut apte cohaereant, digerere?*

⁴⁾ *De fontibus et auctoribus historiarum Diodori Commentat.* I, p. XXXIX.

reliquis secundum Olympiades singulos annos numerat et rerum gestarum abruptas partes velut per annos distribuit; quae quidem dividendi ratio, alioquin incongrua, tali praesertim opere talique historico erat indigna. Sedulitatis ac subtilitatis aliquam, at iudicii nullam omnino laudem continet; antiquae chronologiae subsidium praebet, sed ab altera parte continuam rerum narrationem ubique turbat omnemque historiae catholicae rationem corrumpit. Simile methodi vitium in Theatro Europaeo et Ioan. Lud. Gothofredi historica Chronica, quae ipsa historiae catholicae exempla recentioris aevi sunt, deprehendimus. Quod autem neque in his recentioribus neque in antiquis laudandum erat, id in Diodoro certe excusare decet, partim quod in primo historiae catholicae specimine non facile abesse poterant, quae rudiora initia proderent, partim etiam Thucydidis et Livii exemplo, qui eam methodum ornaverant et colonestaverant.

Ceterum ordinis et oeconomiae vitia Diodorus compensavit virtutibus alius generis, quae eius inter historicos locum atque dignitatem tueantur. Primo rerum copia et varietate antecellit omnes. Deinde rerum delectu ubique conspicuo, et ob eam causam suscepta infinitorum paene scriptorum lectione et comparatione, non solum diligentiam, sed iudicii etiam dexteritatem et sollertiam comprobavit. Exempla e pluribus ubique obviis pauca commemorabo, unde pateat eum non temere quae oblata fuerint arripuisse, sed suo iudicio a diversis scriptoribus relata expendisse. Cum annuae inundationis Nili causae explicandae essent,¹⁾ ita disseruit: alios eam quaestionem plane praeteriisse, alios investigando eius rei causas a vero aberrasse; Hellanicum, Cadmum et Hecataeum fabulas esse sectatos; Herodotum, alias in omni historia curiosum, in opinionibus ambiguis et contrariis versatum esse; Thucydidem et Xenophontem, veritatis studio claros, rerum Aegyptiacarum nihil retulisse; Ephorum et Theopompum maximam quidem curam ac diligentiam ad eius rei causas investigandas contulisse, nec tamen eas assecutos esse ob solam locorum ignorantiam, siquidem ante Ptolemaeum Philadelphum

¹⁾ Lib. I, c. 37 seqq.

nemini Graecorum Aegypti vel Aethiopiae fines adire licuisse, cet. — Adde quae cap. 39, 40 et 41, in eandem rem disputat. Similiter finita Aethiopum descriptione, lib. III, cap. 11, scriptorum addit recensum. Multos observat vel nimis fuisse credulos vel voluptatis causa multa ex ingenio suo ficta tradidisse; Agatharchidem autem Cnidium, Artemidorum Ephesium et nonnullos alios pleraque diligenter sciscitatos esse: itaque collatis horum narrationibus cum iis quae ipse in Aegypto vel per Aethiopum legatos cognovisset, omnia a se novo et accurato studio esse pervestigata et explorata. — Herodotum et Ctesiam persaepe sub examen vocavit, ut patet praesertim e lib. I, cap. 69: lib. II, c. 5, 15, 32. Sed totum hunc locum de fontibus Diodori, huiusque in eorum usu demonstrato iudicio, iam supra Heynii eximio ingenio et exquisita doctrina illustratum vidimus; cuius itaque doctissimas commentationes adeas, si quid auctorum, quos secutus sit, recensu, usu, aestimatione, Diodori diligentia et iudicium praestiterit, pernoscere velis. Tametsi enim iisdem nonnulla, quae Diodorus vel in praebenda fontium notitia omiserit, vel in auctorum diiudicatione peccaverit, sint prodita, nihilominus cuncta tamen argumento sunt Diodorum et in legendis et in percensendis et in diiudicandis scriptoribus studium haud vulgare collocasse. Tam considerate autem pleraque expendentem, tanta diligentia omnia investigantem, tantoque iudicio sua compilantem, discernentem et digerentem, cur inter historicos tam praeclaro nomine dignos referre dubitemus? Tandem haud exiguum operi ornamentum asserunt rerum hominumque descriptiones, cum propter veritatem et exactam perspicuamque rerum enumerationem imprimis ad lectorum animos instruendos idoneae, tum etiam nonnunquam coloribus distinctae et picturarum instar gratae. Saepe ab his in universam virorum principum, populorum rerumque gestarum historiam lux diffunditur. Singulorum quidem hominum characteres insigniores sunt Ninyae II, 21. Sardanapalli II, 23. Regum Philippi, Alexandri, Ptolemaei, XVIII, 28, 33, 36. Agathoclis XX, 62, Demetrii Poliorcetae XX, 91 etc. Alius vero generis descriptionum, quae magis res natura vel arte factas spectant, exempla commemorabo haec pauca: cataracta-

rum Nili, I, — 32, crocodilorum, I, 33 seq., exundationis Nili, I, 35 seq., sepulcri Osymandyaë, I, 47 seqq., Indiae, II, 2 seqq., aurifodinarum in confiniis Aegypti, Arabiae et Aethiopiae, III, 12 seqq., diversorum Aethiopiae et Arabiae populorum, III, 14 seqq. Ad confirmandam Diodori laudem, inde collectam, eiusque sollertiam, praesertim rerum hominumque descriptionibus proditam, gravissimum *Folardi* iudicium veluti coronidis loco apponere iuvabit. Is pro sua parte, ut erat rei militaris peritissimus, praesertim rerum bellicarum descriptiones sub examen vocavit. In commentario ad Polybium (*Histoire de Polybe, avec un Commentaire par M. de Folard*, tom. II, p. 535) cum machinae bellicae Helepolis appellatae ratio esset explicanda, quam eandem Diodorus (lib. XX, 91) descripserat, Diodori sollertiam et accuratam diligentiam his verbis praedicavit: «Plutarchus in eius machinae descriptione grandi errore deceptus est, asseverans Demetrium moenibus admovisse machinarum maximam, cuius basis quadrata fuisset, unumquodque autem latus quadraginta cubitos in longitudinem, sexaginta sex cubitos in altitudinem habuisset. Admirationi esse debet reliquos scriptores omnes, quotquot de hac machina agant, de eius ratione parum inter se convenire. Diodorus Siculus, ut mihi quidem videtur, solus eius rei, cuius ideam proposuit, gnarus atque intelligens fuit.» Idem alio loco (tom. III, p. 109), ita iudicavit: «Diodorus mea quidem sententia inter veteres historicos is esse videtur, qui in describenda urbium oppugnatione cum exactissima diligentia versatus est.»¹⁾

[¹⁾ Qui non animadvertit, quicquid apud Diodorum boni reperitur, id aliis eum debere, quos ita descripsit ut ex Agatharchide vel servaret quod ille dixisset *προειρηκαμεν* de iis quae ipse omisisset. (V. Mülleri Geogr. vol. 1, p. 174.) Qui si omnes superessent, Diodorus eundem fere locum obtineret quem Zonaras, quatenus superstites compilat historicos. Neuter enim quicquam addidit de suo quod quisquam desideret.]

DE DIODORO
ET EIUS SCRIPTIS
BREVIS TRACTATUS
HENRICI STEPHANI.

Diodorus ex Agyrio urbe Siciliae ortus, non ab ea (utpote quae ignobilior esset fortasse), sed ab ipsa regione Sicilia cognomen accepit; nec enim Ἀγυρῖνος, sed Σικελιώτης cognominatus fuit. Vulgo Diodorus Siculus a Latine scribentibus appellatur; quod Siculum Latini indifferenter tam Σικελιώτην quam Σικελόν, ut Italum tam Ἰταλιώτην quam Ἰταλόν vocasse existimentur. Plinius Diodorum simpliciter nuncupat, non addito a natione cognomento. Sic et Iustinus Martyr, item Aristophanis scholiastes. At Eusebius alicubi addit, alicubi omittit. Agyrium autem nomino illam civitatem Siciliae, patriam Diodori, potius quam Argyrium aut Angyrium (quae duae lectiones in nostris habentur exemplaribus): cum alios tum eundem Plinium ac Stephanum sequens. Porro se inde ortum testatur ipse in prooemio totius operis, ἡμεῖς γὰρ ἐξ Ἀγυρίου etc.

Vixit Diodorus (ut variis in locis ipse docet) Iulii Caesaris temporibus. At Suidas illum sub Augusto vixisse scribit, a veritate tamen minime discedens: nam Iulio Caesari illum superstitem fuisse, et Augustum eius successorem vidisse, vel ex iis liquet quae supersunt ex postremo eius opere fragmentis. Et Suidas ita dicit sub Augusto eum vixisse ut ante illum etiam exstitisse non neget. Veruntamen viderit Suidas cur non potius dixerit eum sub Iulio Caesare et post eum vixisse; vel sub Iulio Caesare et sub Augusto. Equidem in tempora Iulii Caesaris se incidisse ipsemet cum alibi testatur

tum vero in his quos subiungam locis: in quibus omnibus illum dei ornare cognomento obiter animadvertendum est. Nam libri quarti capite 19, de Alesia urbe loquens, haec scribit (si modo verba eius recte interpretor:) *Celtae autem nostra etiam aetate civitatem hanc in honore et pretio habebant, tanquam universae Celticae asyllum et metropolim. Quae quum libera et a nullo expugnata ab Herculis aetate ad nostram usque permansisset, tandem a Caio Caesare (qui ob fortia facta deus vocatus est) vi capta, Romanorum imperium accipere una cum aliis Celtis coacta fuit* Rursus lib. V, cap. 21, de Britannia loquens: *Huic priscis quidem seculis nihil rei cum peregrino ullo exercitu fuit: (siquidem nec Bacchum, nec Herculem, nec aliorum heroum quenquam adversus eam exercitum duxisse accepimus) verum nostra aetate C. Caesar (ob res a se gestas deus cognominatus) primus post hominum memoriam insulam subiugavit, Britannosque debellatos Romanis tributarios reddidit.* In alio eiusdem libri loco, qui est capite 25, scribit: *Ex fluviiis autem, qui in mare influunt, maximi videntur esse Danubius et Rhenus, quem nostra aetate Caesar (qui deus nuncupatus fuit) miro quodam et incredibili artificio ponte iunxit: quumque suum exercitum eo transportasset, transrhenanos Gallos subegit.* Meminit vero Iulii Caesaris et libri I, c. 4, sed eius se aetate vixisse non addens. Scribit enim: *In sequentibus autem viginti tribus libris reliquas res omnes gestas ordine collocavimus, usque ad principium excitati Romanis adversus Celtas belli.* Cuius dux C. Iulius Caesar (qui ob res gestas deus vocatus fuit) maximam Cellicarum gentium partem, et quidem quae inter eas maxime bellicosae erant, subiugavit, Romanumque imperium ad Britannicas usque insulas promovit. *Huius gesta initium habuerunt a primo Olympiadis centesimae et octogesimae anno, archonte Athenis Herode.* Eadem autem Olympiade se in Aegyptum venisse scribit, lib. I, c. 44. *In Aegyptum (inquit) centesima et octogesima Olympiade pervenimus, regnante Ptolemaeo, qui novus Bacchus appellabatur.* Rursus lib. I, c. 83: *Quo tempore rex Ptolemaeus a Romanis nondum amicus vocabatur, et populus*

advenas Italos omni studio ac favore prosequatur, ac sedulo dabit operam ne etc.

Titulus operis Diodori est *Βιβλιοθήκη Ἱστορικὴ* in nostris quidem certe exemplaribus. Eusebius quoque *Evang. Praep. lib. I. c. 6* [p. 18, D] dicit eum in unum opus collegisse universam *Ἱστορικὴν βιβλιοθήκην*. Verum idem *lib. II. c. 1* [p. 52, B], *βιβλιοθήκας* numero plurali vocat, nec addit *Ἱστορικὰς* scribit enim ὁ τὰς βιβλιοθήκας ἐπὶ ταυτὸν ὁμοῦ συναγαγῶν. Itidem Iustinus Martyr de eo dicit ὁ τὰς βιβλιοθήκας ἐπιτεμῶν. Rursum Eusebius *c. 2* [p. 57, B], citat librum quartum *βιβλιοθηκῶν* Diodori. Iam vero et Plinius (nisi hic quoque mendosa sunt exemplaria ¹⁾ *βιβλιοθήκας* numero plurali appellat. Cuius locum repetam paulo altius, ut intelligi possit quod de hoc titulo scribit. Haec igitur eius sunt verba in praefatione totius operis [25]: *Iam Musae, Pandectae, ἐγχειρίδιον, λειμῶν, πινυλίδιον, inscriptiones propter quas vadimonium describi possit. At quum intraveris, dii deaeque quam nihil in medio invenies. Nostri crassiores Antiquitatum, Exemplorum, Artiumque quam facetissimi. Lucubrationem puto, qui Antias civis erat et vocabatur, Valerius primus asserit. Varro in Satyris suis Sesculyxem et Flexibulas. Apud Graecos desunt nugari Diodorus, et Βιβλιοθήκας historiam suam inscripsit. Appion quidem grammaticus etc. Haec tamen Plinius. At enarrator Aristophanis [Ald. Pluti v. 9] citat locum quendam de tripode ex Diodori libro XVI τῶν Ἱστορικῶν βιβλιοθήκης. Ubi fortasse scripserat τῆς τῶν Ἱστορικῶν βιβλιοθήκης. Nec sunt valde absimiles hi tituli, Ἱστορικὴ βιβλιοθήκη et ἡ τῶν Ἱστορικῶν βιβλιοθήκη. Iam vero de titulo, qui est apud Athenaeum, quidnam dicemus? citat enim ille Diodorum ἐν τοῖς περὶ βιβλιοθήκης. Quo tamen sensu opus Diodori appellari possit τὰ περὶ βιβλιοθήκης non intelligo, ac mendum subesse verbis illis ἐν τοῖς περὶ existimo.²⁾ Est autem locus*

[¹⁾ Quae omnia *βιβλιοθήκης*, non *βιβλιοθήκας*, ut *βιβλιοθήκην* scribendum videatur.]

[²⁾ Nullum subesse mendum ostendunt quae de usu novitio praepositionis *περὶ* dixi ad inscriptionem libelli Xenophonti falso tributi, qui Πόροι inscribendus, non *Περὶ πόρων*, p. 67 ed. Oxon.]

quem citat lib. XVI, c. 24. Porro quod ad praecedentes attinet inscriptiones, videtur omnium simplicissima esse haec, (quae et in nostris exemplaribus habetur) *ἱστορικὴ βιβλιοθήκη*: a qua non abludit ista (uti modo dixi) *ἡ τῶν ἱστοριῶν βιβλιοθήκη*. Nec enim aliud hisce inscriptionibus significari arbitror quam opus historicum ex variorum historicorum scriptis ita conflatum ut unum aliorum multorum instar esse et tanquam bibliotheca historicis variis instructissima cognitionem historiarum omne genus subministrare possit. Quum autem vocatur *βιβλιοθήκη*, primum quidem subaudiendum relinqui puto adiectivum *ἱστορικαί*: deinde pluralem numerum aliquid amplius significare quam singularem: quasi non unius bibliothecae, sed multarum bibliothecarum instar esse possit hoc opus.¹⁾ Quod vero dicit Eusebius Diodorum in unum opus collegisse bibliothecas historicas, eodem redire crediderim: intelligit enim, ut opinor, eum diversorum auctorum scripta (tam multa ut bibliothecas implere possent) in unum opus congressisse. Idem vero Eusebius in prooemio libri II, simplicius loquens de eo, *Qui (inquit) ex pluribus historicis collegit: ἐκ πλειόνων τὰς ἱστορίας ἀναλεξάμενος*. At Iustinus Martyr (cuius modo protuli verba) non dicit ut Eusebius, *Qui bibliothecas collegit*, sed *Qui contraxit et in compendium redigit*. Quod tamen dicens nullo modo ab Eusebio dissentit: nam is alicuius opus in compendium redigit, qui non omnia quae in eo sunt colligit, sed ex multis interdum pauca, et quidem ea quae illi videntur esse praecipua. Nec Eusebius collectionem talem intelligit quae totos caeterorum historicorum libros coacervarit, sed in qua delectus, quali opus est his in rebus, adhibitus fuerit.

Hoc autem opus, quod historicam bibliothecam appellari diximus, in quadraginta libros a se distributum fuisse ipsemet in prooemio testatur scribens: *Adeo ut universum opus nostrum, quod quadraginta libros habet, annos mille centum triginta octo complectatur, ultra tempus rerum ante*

[¹⁾ Haec quoque redarguunt quae de novitio pluralis pro singulari usu dixi ad inscriptionem Xenophontis Expeditionis Cyri p. 1 ed. Oxon.]

bellum Troianum gestarum. Sed animadvertendum est quosdam ex his libris esse duplices, id est in duas partes divisos: ut est liber primus, item decimus septimus. Quanquam ipse auctor divisionis libri decimi septimi non meminit, sed tantum divisionis libri primi; posteriorem enim eius inchoans partem ita praefatur: *Cum primus Diodori liber ob prolixitatem in duos libros divisus sit, prior quidem etc.* Ubi quod scriptum sit *Primus Diodori liber*, non *Primus meus liber*, non debet cuiquam suspectam reddere positam hic praefatiunculam, quasi supposititiam: nam quae in calce eius habentur, esse Diodori convincunt, quum ibi de se non iam in tertia, sed prima persona loquatur. Ut autem hic positus fuit iste titulus *τῆμα δέυτερον*, ita et supra illis verbis, *περὶ μὲν etc.* (quae habentur continuo post prooemium) videtur debuisse praefigi haec inscriptio, *τῆμα πρῶτον*; sed nostris exemplaribus nihil ausi fuimus assingere. Caeterum hinc apparet quid Volaterranum et alios in errorem impulerit, citantes ex libro sexto Diodori quae in quinto habentur. Nimirum is, cuius edita fuit pridem Latina horum quinque priorum librorum versio, (vel potius perversio) primus, opinor, caeteris ansam errandi praebuit: qui, ubi Diodorus posteriorem libri primi partem inchoat, libri secundi principium constituit: ac deinceps ubi ille initium libri secundi facit, ipse tertium inde incipere credit, et ita in librorum sequentium enumeratione pergens, ut pro quinque sex habeamus facit. Quod si in eius manus integrum volumen venisset, ex quadraginta libris fortasse quinquaginta hoc modo fecisset: nec enim dubito quin et ex libris, qui desiderantur, aliquos hic auctor duplicaverit. Verum eos, quibus non ipsos Diodori libros, sed eorum tantum interpretationem videre contigerat, excusatione dignos merito iudicemus: at qui Graeca versaverant exemplaria, minus venia digni videntur. Immo vero ne eos quidem, qui Latinam duntaxat interpretationem viderant, (ac multo minus eius auctorem) veniam mereri dicere possumus; quum in ea ipsa liber primus in duos libros divisus esse scribatur. Volui autem hunc errorem patefacere propter eos etiam qui clamitant bellum hunc interpretem librum sextum habuisse, qui tamen in iis quae notae sunt bibliothecis desideretur. Quod

si quis aliqua ex vere sexto libro legere cupit, habet apud Eusebium locum inde depromptum *Evang. Praep. lib. II, c. 2* [p. 59, B] in fragmenta receptum.

Librorum Diodori omnium quidem simul titulus est is de quo paulo ante dictum est, *Historica bibliotheca*: sed quosdam ex iis peculiare inscriptiones habuisse ex eo conicere possumus, quod ipsemet librum quintum *Νησιωτικὴν βιβλον* inscribat, id est ad verbum, *Insularum librum*, quod videlicet in eo de insulis agat. Atque hoc diligenter notandum est, ne si incidamus in aliquem auctorem qui *Νησιωτικὴν βιβλον* eius citet, eum esse de numero librorum *Historicae bibliothecae* inficiemur.

Argumentum huius operis in genere quidem ipse titulus declarat; sed particulatim ab ipso auctore exponitur *lib. I, c. 4*, ubi scribit: *Ex libris nostris primi quidem sex complectuntur res ante Troiani belli tempora gestas, et ea quae fabulis tradita de eo seculo fuerunt; atque horum tres priores antiquitates barbaricas, tres posteriores Graecas fere complectuntur. Undecim autem sequentibus a Troiano bello universitatem rerum gestarum, usque ad Alexandri mortem, memoriae prodidimus. In iis qui supersunt viginti tribus reliqua omnia gesta collocavimus, usque ad initium belli Romanis adversus Celtas exorti.* Haec ille. Qui autem magis particulatim singulorum librorum argumentum nosse volet, praefixa legat unicuique eorum *κεφάλαια*.

De temporis autem longitudine quod toto suo complectitur opere, paulo post ipse scribens, ait se id quidem tempus quod bellum Troianum antecessit certo spatio non definire; sed a Troiano bello (*Apollodorum Atheniensem sequendo*) nonaginta annos usque ad *Heracidarum reditum* statuere, ab hoc autem usque ad primam Olympiadem trecentos viginti octo, a *Lacedaemoniorum regibus tempora* computando. Postremo a prima Olympiade usque ad Celtici belli initium (quo suam historiam clausit) septingentos triginta annos Adeo ut universum opus, quod quadraginta libros habet, spatium annorum mille centum triginta octo complectatur, etiam tempore rerum ante Troianum bellum gestarum excepto.

Caeterum ad universalem historiam in unum opus inclu-

dendam se desiderio iuvandorum lectorum impulsus, et nec laboris ad id necessarii magnitudine nec temporis longitudine deterritum fuisse in prooemio suo testatur: ubi etiam ait facile et promptum omnibus fore ex eiusmodi opere, tanquam ex uberrimo fonte; quae ad suum institutum pertinent haurire; contra vero evolvere sparsas per varios libros historias, (eorum videlicet qui propria gentis aut civitatis unius gesta seorsum tractaverint) praeterquam quod laboriosum sit et ad perspicuam rerum intelligentiam perincommodum, non cuiusvis esse, quod nimirum non omnibus tot datum sit volumina nancisci. Se ergo totos triginta annos in hoc opus insumsisse, et bonam Europae atque Asiae partem magnis cum aerumnis periculisque peragrasse scribit; quod locorum ignorantem seiret nonnullos ex celeberrimis etiam historicis in errores varios impulsisse. Quibus haec subiungit: *Adminiculum autem nobis ad hoc inceptum fuit, ante omnia quidem huius argumenti pertractandi cupiditas (per quam omnibus mortalibus etiam quod alioqui nulla ratione effici posse videtur, effectum redditur) deinde vero suppeditata Romae omnium rerum quae ad huius argumenti tractationem faciebant, abundantia et copia. Quum enim urbs haec adeo supra omnes alias emineat, ut eius potentia usque ad extremos orbis terminos pertingat, expeditissima et plurima nobis adminicula ministravit; utpote qui eius incolae longo tempore fuerimus. Nos enim ex Agyrio urbe Siciliae orti, et propter commercium quod nobis cum Romanis in insula versantibus erat, magnam linguae Romanae cognitionem adepti, omnia huius imperii gesta ex vetustis quae apud illos asservantur monumentis desumpsimus. Et haec quidem hoc loco Diodorus: alibi autem Ephori exemplo se *κοινὰς προάξεις* memoriae mandasse scribit.*

Apud Diodorum conciones crebrae aut longae, sicut apud alios multos historicos, quaerendae non sunt, utpote quas ipse in illis reprehendat. Ait enim eas narrationis cursum interrumpere et lectorem avidè in cognitione historiae ulterius progredientem remorari. Invehiturque in eos qui intempestive suam eloquentiam in historia scribenda ostentant; atque ubi tot conciones orationesque rhetoricis pigmentis adpersae in-

farciantur historiae, totam historiam esse concionum accessionem scribit. Perinde est autem ac si diceret ipsam historiam, quae est τὸ ἔργον, fieri τὸ πάρεργον· contra vero conciones, quae esse debent velut τὸ πάρεργον, tractari tanquam ipsum ἔργον. Ubi autem locum habeant conciones, et quis earum debeat esse modus, declarat. An vero et in Thucydidem cadat haec reprehensio viderint alii.

Res gestas tam diligenter et accurate atque adeo exacte temporibus distinguit, ut hac in re palmam inter historicos obtinuisse credatur. Porro quod modo ἀρχόντων, modo consulum, interdum utrorumque simul nomina secus apud eum quam apud alios scripta reperiuntur, ea vero scripturae diversitas debeatne ipsis auctoribus imputari, an iis qui libros eorum descripserunt librariis, saepe dubium relinquitur. Sunt quidem certe loci nonnulli; in quibus tanta est diversitas ut eam ipsis auctoribus liqueat esse imputandam. Verum quod ad temporum notationem attinet; peculiare est hoc Diodoro, non solum ἀρχόντων et consulum, sed et virorum doctrina illustrium nominibus ea signare. Interdum etiam tempus quod describit esse id ait a quo hic vel ille suam sit orsus historiam, simul et tempus in quod ea desinat significans. Exempla sunt lib. XII, c. 37, et XIII, 103; praeterea c. 109, et XIV, c. 43 et 46, item c. 84. Multos vero simul enumerat XV, 76. Alios omnes longum foret annotare locos.

Hoc insuper Diodoro usitatum est, suis narrationibus clausulam, quae aut laudem aut vituperium contineat, imponere. Nam ut, si quid insigni cum prudentia aut fortitudine gestum est, summis laudibus auctorem huius rei prosequitur: ita si quo in facto insignis temeritas vel ignavia vel improbitas se prodit, male accipere verbis auctorem eius solitus est. Cuius suae consuetudinis cum alibi, tum in libri decimi quinti prooemio meminit. Praeterea lib. XV, c. 88, morem institutumque suum esse dicit fortis alicuius viri morte commemorata laudes eius subiungere. Et quidem ut ibi in Epaminonda hoc facit, ita et paulo ante fecerat in Pelopida, cap. 80. Modum interim tam in laudationibus quam vituperationibus tenet, et ne in eandem in quam Timaeus reprehensionem incurrat, se-

dulo cavet: nam propter crebras ac longas ἐπιτιμήσεις Timaeum fuisse vocitatum Epitimaecum ipse V, 1 scribit.

Est etiam mos hic Diodori (qui praecipue commendare scripta eius piis omnibus debet) ut rerum multarum eventus, quos alii historici fortunae imputarent, divinae providentiae adscribat, ut V, 83: *Et Tennem, praeter spem omnium, dei alicuius providentia servatum, regno insulae potitum fuisse.* Sic XVI, 58: *Nam qui in templum confugerant, cum se deorum ope servatum iri sperassent, contra divina providentia factum est ut supplicio sacrilegis digno afficerentur.* Iluc autem pertinent et hi loci, qui item pietatem eius (qualis in ethnicum hominem cadere potuit) testantur, ut XV, 58: *Hi ergo, tanquam aliquo deo ipsis offenso, iustas et debitas poenas luerunt.* Item XVI, 31: *Quum autem exire inde non posset, cruciatusque se captum manentes formidaret, se ipsum praecipitavit: atque hoc modo dans numini poenas vitam finivit.* Et c. 64: *Qui ergo numen contemnere ausi erant, eo quo diximus modo puniti a diis fuerunt.* Quodam etiam loco infortunia quae narrat physicos quidem inter naturales et coactos rerum eventus annumerare ait: at eos qui pii sint erga deos interpretari a diis invectas esse calamitates illas adversus eos qui numen ipsorum violassent. Iam vero et principibus nonnullis suam erga deum pietatem promoti eorum imperii causam fuisse perhibet. Pudeat pudeat ergo Christianos quosdam in suis historicis scriptis omnia fortunae tribuentes, ethnicos verbis (utinam non etiam mente) comperiri.

Diodori autem idioma unusquisque assidua eius scriptorum lectione cognoscere poterit: quod cognitum ad multos in iis emendandos locos, multos item alioqui perobscuros intelligendos, itemque ad amovendam falsam suspicionem de librorum quibusdam in locis fide, plurimum adiumenti attulerit. Quicumque enim novus scriptoris huius lector erit, (etiamsi alioqui in lectione aliorum omnium exercitatissimus sit) futurum ut ei nova multa occurrant, praemonitum volo.

Hoc addam, elogia de Diodoro vel potius Diodori scriptis exstare apud Iustinum Martyrem et Eusebium Pamphili pulcherrima. Nam ille celeberrimum Graecorum historicorum

eum appellat: hic autem illustrem virum eum esse dicit, et de cuius doctrina omnium philologiae studiosorum magna sit opinio. Subiungitque paulo post, notiora Graecis esse Diodori quam aliorum scripta. Quae quidem ego asserens ad ornandum Diodorum elogia idem propemodum facere mihi videor ac si faces soli ad eum illustrandum admoverem. Quantum enim solis lumen inter stellas, tantum inter omnes quotquot ad nostra tempora pervenerunt historicos (si utilitatis potius quam voluptatis aurium habenda sit ratio) noster hic Diodorus eminere dici potest. Ac quanto univversus orbis civitate aut gente una est capacior atque amplior, tanto maior est scriptorum Diodori (si eorum argumentum spectemus) quam ullius eorum qui exstant historicorum amplitudo. Nam quum ex aliorum unoquoque tantam ex rivulo gentis unius aut civitatis aut principis gesta hauriamus; ex hoc, tanquam uberissimo fonte, vel potius patentissimo flumine, omnium fere totius habitabilis orbis gentium, et particulatim quarundam etiam illustrium civitatum, res gestas haurire possumus. At enim mihi laudare aggresso Diodorum id obiciendum quispiam existimaret, quod olim ei qui laudare Herculem parabat obiectum fuit, *Ecquis eum accusat?* Sed aliter profecto se res habet. Exstat enim eius, licet tribus tantum constans verbis gravissima tamen accusatio, quae temporis quidem vetustate non nititur, nec eius se auctoritate tuetur; sed accusatoris auctoritate fortasse niti posse videbitur. Is enim fuit Lud. Vives, qui nostro seculo natus, Hispaniae suae maximum decus et lumen ob doctrinam exstitit. Eius haec leguntur (et quidem cum applausu a quibusdam leguntur) verba: *Diodorus Siculus ab inundatione, quae sub Ogyge fuit rege Boeotiae, ad sua tempora, id est, ad C. Caesarem dictatorem, historiam deducit, quem Plinius nescio qua de causa dicat primum apud Graecos desuisse nugari; quum nihil sit eo nugacius. Nisi forsitan quod nullum operi suo illecebrosum aut magnificum titulum indiderit, sed inscripserit tantum Bibliothecam.* Haec Vives: nimirum nugari dicens Diodorum propter fabulosas quas prioribus libris tractat antiquitates. Quasi vero hic, dum *παλαιὰν μυθολογίαν* appellat, legitimam excusationem apud lectores aequos non haberet. Equidem si

quicumque fabulosas antiquitates literis mandaverunt, talem criminationem a posteris formidassent, quali Vives onerat Diodorum, quidnam ad intelligendas saltem poetarum fabulas relictum nobis adiumenti fuisset? Adde quod huiusmodi ἀρχαιολογίαι, licet fabulosae vocentur, non usquequaque tamen fabulosae sunt; (earum autem bonam partem, quae a poetis manarunt, excipio) sed penitus in eas introspicendo quandam veritatis velut scintillam saepenumero inter densas mendaciorum tenebras invenire possumus. Exempla sunt in promptu. Etenim quam fabulosa et futilia putamus ethnicis visa fuisse, quae de Mose cum alii tum Hecataeus et Alexander Polyistor memoriae prodiderunt? Atqui bonam eorum partem quae de se ipso Moses scripsit, in illis habemus: adeo ut non historiam illam finxisse, sed tantummodo historiae illi affinxisse multa dici possint. Quid aliud quam delirantium somnia esse existimarunt ethnici fere omnes, quae Berosus, quae Hieronymus Aegyptius, quae Mnaseas, quae Abydenus de diluvio scripta reliquerunt? Quotusquisque historicae Abydeni narrationi de turri ea quam vulgus turrim Babel a loci nomine appellat, plus fidei quam anilibus fabulis tribuendum putavit? Atqui ex sacris literis aperte cognoscimus ita fabulosa esse illa, ut veritatis lumen inter densas mendaciorum velut nubes quosdam tenues radios adhuc micantes habeat. Etenim si quis scripta eorum de diluvio et de illa turri cum scriptis Mosis conferat, falsa quidem in illorum scriptis esse quamplurima, si particulatim examinentur, sed in summis (ut ita loquar) historiae capitibus convenire illis cum Mose comperiet. Iam vero quod in his accidit prisca seculi historiis, cur non et in aliis accidere potuisse suspicabimur? Tantum abest igitur ut eos qui nobis ἀρχαιολογίας tradunt, mendacii protinus habere suspectos debeamus, ut ne poetarum quidem fabulas (de multis, non de omnibus loquor) in totum fabulas esse dicere satis pudenter possimus. Cuius etiam rei testimonium in modo dictis historiis locupletissimum certissimumque habemus. Nam quid de diluvio, quid de turri illa Moses scriptum reliquerit, omnes ad unum scimus: certe, si non vano Christianorum titulo gloriamur, scire debemus. Superest igitur, quid ethnici antiquitatum scriptores, quid poetae iisdem de

rebus tradiderint posteris intelligere. Primum quod attinet ad diluuium, servatum quidem fuisse virum quendam uno consensu omnes tradunt, sed nomen eius apud unum tantum (eorum quos legerim) invenitur, rerum Assyriacarum scriptorem Abydenum. Qui tamen pro Noe Sisithrum nescio quem, pro Iehova Saturnum nobis memorat. Quid poetae? nonne et ipsi diluvii meminerunt, et Deucalione ac Pyrrha lapidumque in orbe iactatione, ceu involucris, maxime memorabilem historiam nobis texerunt? Hactenus de diluvio. Ad illam turrin *ὄψαυουήκη* veniamus, et quid de illa idem Abydenus scripserit audiamus. *Illi, inquit, quos primos terra edidit homines, ob robusta vastaque corpora elati, quum diis superiores evadere in animo haberent, immensae altitudinis turrin aedificare coeperunt. Quumque iam parum abesset quin ad caelum usque pertingeret, venti diis opitulantes machinam illam disturbarunt, atque huius ruinae reliquias Babylona esse quidam crediderunt. Caeterum quum ad eum usque diem uno eodemque sermone usi omnes fuissent, deorum numine factum est ut alii aliam linguam haberent. Postea autem Saturno cum Titanibus ortum est bellum. Haec ille. Aliis autem gigantes qui ex diluvio evaserant Babylonem condidisse scribit, ubi quum illam historiis celebratam turrin extruxissent, eamque divina potentia subruisset, per universam terram eos dispergi coepisse. Quo si quis ea retulerit quae de gigantibus poetae cecinerunt, (quis autem eo referenda non videt?) postquam legerit gigantes regnum caeleste affectasse, montesque montibus superposuisse, scalam qua conscendi caelum posset molientes, an a verissima historia fabulam hanc manasse, vel potius fabulam hanc veritatis veluti fundamento superstructam esse inficiari audebit? At si per se hanc spectaris, quid mendacius, quid vanius, quid nugacius fingi aut cogitari potest? Haec (et alia quorum consideratio virum iudicio praeditum decebat) si considerasset Vives, non tam aperte, dum Diodorum nugacem appellat, nugatus ipsemet fuisset.*

INDEX NOMINUM ET RERUM

C. MUELLERI.

- Abacaenina regio in Sicilia XIV, 78, 5.
- Abacaenini Agathocli adversantes a tyranno iugulantur XIX, 65, 6. Agathocle ad Ecnomum devicto ad Hamilcarem deficiunt XIX, 110, 4. In bello contra Mamertinos pro Hierone stant XXII, 13, 2.
- Abacaenum, urbs Siciliae XIV, 90, 3.
- Abae, urbs Arabiae XXXII, 9d. 10, 1, 2.
- Abae, urbs Phocidis XVI, 58, 4.
- Abaris Hyperboreus in Graeciam proficiscitur II, 47, 5.
- Abas. Conf. Bias.
- Abdalonymus Tyrii rex datur ab Alexandro M. XVII, 46, 6. Prior eius humilitas 47.
- Abdemon Tyrius, Salaminis in Cypro rex, ab Euagora regno pellitur XIV, 98, 1.
- Abdera, urbs Thraciae XXXI, 8, 7. A Thrasybulo in Atheniensium partes pertrahitur XIII, 72, 2. Ab Eumene capitur XXX, 6.
- Abderitae, eorum ditionis fines XII, 50, 2. A Triballis summpere pressi a Chabria periculis eximuntur XV, 36.
- Abrupolis, Thraciae regulus, a Perseo regno eiicitur; in id restituitur iussu Romanorum XXIX, 33.
- Abuletes satrapa, Susarum arcem Alexandro tradit XVII, 65, 5.
- Abydus Asiae ad Hellespontum, XI, 3, 6; XIII, 39, 4; 40, 4; 41, 1; 45, 1; 68, 1; XX, 107, 2; XXVIII, 6.
- Academia. In ea Agis Athenas oppugnans castra ponit XIII, 73, 1. A Philippo vastatur XXVIII, 7.
- Acamas, Thesei et Phaedrae filius IV, 62, 1.
- Acanthopolis in Aegypto I, 97, 2.
- Acanthus, urbs Thraciae XI, 5, 1. Brasida auctore ab Atheniensibus deficit XII, 67, 2.
- Acarnanes. Eorum urbes praeter Oeniadas a Pericle in Atheniensium potestatem rediguntur XI, 85. A Lacedaemoniis sub Cnemo duce instantur XII, 47, 4. Contra Ambraciotas bellum gerunt, sed mox missa Atheniensium societate cum Ambraciotis in

- gratiam redeunt XII, 60, 5.
 A Lacedaemoniis deficiunt XIV, 82, 3. Cum Atheniensibus societatem ineunt auctore Timotheo XV, 36, 5. Aetoliam invadunt; repelluntur XVIII, 38. 4. Cum Cassandro arma iungunt contra Aetolos; ex locis male munitis in firmiores commigrant XIX, 67, 3 seq.
- Acarnaniae fl. Achelous I, 3, 9, 13.
- Acasus, Peliae f., cui post patris necem regnum tradit Iason IV, 53, 1; 55, 2.
- Accipiter cur ab Aegyptiis colatur, I, 87, 6. Inter litteras hieroglyphicas quid significet III, 4, 2.
- Ace, urbs Phoenices XV, 41, 3. A Ptolemaeo destruitur XIX, 93, 7.
- Acellum XXIV, 1, 10.
- Acesines, fl. Indiae II, 37, 4; 49, 1. XVII, 95, 3. Eius cum Hydaspi confluentes XVII, 96, 1.
- Acestorides, Athen. archon (Olymp. 76, 3) XI, 51, 1.
- Acestorides Corinthius, Syracusanorum dux, Agathoclis inimicus XIX, 5, 1 seq.
- Achaei Laconiae nonnulli una cum Doriensibus sub Tectamo duce in Cretam transeunt V, 80, 2. Achaeos (Achaiae incolas) in partes suas trahit Epaminondas XV, 75, 2. Achaei Lacedaemonem in ditionem redigunt; urbis moenia destruunt; displicere hoc senatui nuntiant Romanorum legati XXIX, 17. Respuunt dona ab Eumene oblata; cum Seleuco amicitiam instaurant, ibid. Divinitus immissa quadam rabie in interitum ruunt XXXII, 26.
- Achaei IV, 68, 3, ubi distinguuntur a Phthiotis.
- Achaei Phthiotae in Thessalia XI, 3, 2; XV, 80, 6. In bello sacro contra Phocenses pugnant XVI, 29, 1. Bellum contra Sitalecem parant XII, 51, 1.
- Achaei, populus ad Pontum, Iatrociniis infamis, cui bellum infert Eumelus rex Bospori XX, 25, 2.
- Achaemenes, Darii filius, patrus Artaxerxis, dux Persarum contra Aegyptios rebelles; ab his et ab Atheniensibus clade afficitur; in Album murum confugiens obsidione cingitur XI, 74, 1 seqq.
- Achaens, vir strenuus et prudens, unus ex Euni consiliariis XXXIV, 1, 16 et 42.
- Achaia Peloponnesi olim Ionia dicta XV, 49, 1.
- Achaia Phthiotica V, 50, 4.
- Achaia urbs (quae postea Cyrbe) in Rhodo a Solis filiiis conditur V, 57, 6.
- Achais, tribus Thuriorum XII, 11, 3.
- Acharnae Atticae XIV, 32, 6.
- Achelous, fluv. Acarnaniae, multam terram accumulatur I, 39, 13. Eum in alium alveum divertit Hercules IV, 35, 3. Quod quomodo in poetarum fabulas abierit, ibid.
- Acherusia palus prope Memphin in Aegypto I, 96, 7.
- Acherusia Phoenices prope Hieracleam Ponticam, fabula de Cerbero extracto celebris XIV, 31, 3.
- Achilles, Pelei et Thetidis IV, 72, 6. Penthesileam ad Troiam occidit II, 46, 5. Capta

- Lyrnesso in Phrygia Iyra Mercurii potitur V, 49, 4. Tenen ante Troiam interficit V, 83, 5. Quare Achillis nomen in Tenes conditoris fano pronuntiari nefas habent Tenedii V, 83, 5. Achillis sepulcrum in Troade honorat Alexander XVII, 17, 3.
- Achradina, Syracusarum urbis pars XI, 67, 8; 73, 1; XIV, 63, 1.
- Aconitum, Hecates inventum IV, 45, 2.
- Acoris, Aegyptiorum rex, foedus cum Euagora iungit XV, 2, 2. Frumentum ei subministrat 3, 3. Ad eum proelio victus Euagoras confugit XV, 4, 2. Acoris cum Glo, qui ab Artaxerxe defecerat, societatem inivit XV, 9, 3. Bellum infert Persis, copiarumque ducem constituit Chabriam Atheniensem XV, 29, 1 seq.
- Akra Hippici in Libya ab Agathocle capitur XX, 54, 3.
- Acras Hippici (illi, quam Agathocles expugnauit, cognominem) in Libya capit Eumachus, Agathoclis dux XX, 57, 6.
- Akra Leuce, ab Hamilcare Hannibalis patre in Hispania condita XXV, 10, 3.
- Acras, urbs Siciliae XXIII, 4, 1.
- Acridophagi Aethiopes III, 29.
- Acris, Libyae urbs, ab Eumacho, Agathoclis duce, expugnatur XX, 57, 6.
- Acrisii filia Danae IV, 9, 1.
- Acrorea, Elidis regio XIV, 17, 8.
- Acrocorinthus XX, 103, 2.
- Acrotatus, Lacedaemonius, Cleomenis regis filius, ab Agrigentinis belli contra Agathoclem gerendi dux creatur; eius in itinere res gestae XIX, 70, 4. Agrigenti superbe se gerens populique odium incurrens, mox fuga sibi consulens in Laconiam redit 71, 1 seq.
- Actaeon, Aristaei et Autonoes filius. Eius mors IV, 81, 3 seqq.
- Actaeon, Melissi filius, puer ab Archia Corinthio amatus. Eius mors VIII, 8.
- Acte, portus Siciliae IV, 78, 1. Orionis opus IV, 85, 1.
- Acte Pulchra in Sicilia XII, 8, 2.
- Acte, regio Peloponnesi XII, 43, 1.
- Acte, Thraciae locus XII, 68, 5.
- Actis, Solis e Rhodo f. V, 56, 5. In Aegyptum profectus Heliopolin condit, et Aegyptios astrologiam docet V, 57, 2.
- Actisanes, Aethiopum rex, Amasi debellato Aegyptum sibi subiicit I, 60, 3; vir probus; Rhinocolura condit 60, 4.
- Actor (Myrmidonis et Pisidices f.), Phthiae rex, Peleum expiat et regni successorem constituit IV, 72, 6.
- Actor (Deionis filius), Menoetii pater IV, 39, 1.
- Actor, Phorbantis f., Eleorum rex IV, 69, 3; 72, 6.
- Acylius Decius (L. Aquilius), tribun. mil. cons. pot. (Ol. 100, 1) XV, 23, 1.
- Ada, Idriei soror, fratri in Cariae regno succedit XVI, 69, 2. Eo eiicitur a Pixodaro XVI, 74, 2. Alexandri auxilium ad regnum recuperandum implorat XVII, 24, 2.
- Adherbal Lilybaeum a Romanis obsessum fortiter tutatur XXXIV, 1, 2.
- Adherbal, rex Numidiae, ab Iugurtha obsessus, Romanorum auxilium implorat, quorum legationes quum frustra fuis-

- sent, ab Ingurtha captus caeditur XXXIV, 31.
- Adherbal, filius Micipsae XXXIV, 35.
- Adimantus, archon Atheniensis (Olymp. 75, 4) XI, 41, 1.
- Adimantus, Atheniensis, dux sub Alcibiade imperatore XIII, 69, 3.
- Admetus, Pheretis f., Alcestin, Peliae f., in matrimonium ducit IV, 53, 1. VI, 6, 6; eius pietas et iustitia, ibid.
- Admetus, Molossorum rex, Themistoclem profugum benigne excipit XI, 56, 1; quem mox ab eo deposcunt Spartani bellum minitantes 56, 2; fugam Themistoclis adiuvat, ibid.
- Admetus, dux Alexandri M., in Tyri obsidione occisus XVII, 45, 6.
- Adoptionis ritus IV, 39, 2.
- Adramytium, urbs Mysiae XII, 73, 1; 77, 4. A Prepelao capitur XX, 107, 4.
- Adranon vicus XXIII, 4, 2.
- Adrastus Tydeo Deipylen, Polynici Argiam filias in matrimonium dat IV, 65, 3; solus redit ab expeditione Thebana 65, 29.
- Adrastus Phrygius Atyn Croesi filium nolens interficit ac deinceps sibi ipse manum infert IX, 29.
- Adrestae, Indiae gens, ab Alexandro M. subigitur XVII, 91, 2.
- Adriaticus sinus IV, 56, 7; XII, 30, 2.
- Adrumetum in Libya ab Agathocle capitur XX, 17, 5.
- Aeacida, Arymbae filius, rex Molossorum, pater Pyrrhi XVI, 72, 1, et Deidamiae XIX, 35, 5. Cum Polysperchonte Olympiadem in Macedonia reducit XIX, 11, 2. Olympiadi auxiliari studens a suis plerisque deseritur et exilio plectitur ab Epirotis XIX, 36, 3 seq. Cum Polysperchonte post obitum Olympiadis in Aetoliam fugit XIX, 52, 6. In regnum reversus, a Philippo, Cassandri duce, vincitur proeliansque vitam amittit XIX, 74, 3 seqq.
- Aeacus, Iovis et Aeginae f., precibus suis sterilitatem, qua Graecia premebatur, avertit IV, 61, 1. Pater Pelei et Telamonis et Phoci; Peleum in exilium mittit IV, 72, 5.
- L. Aebutius Alba (Helva?), consul Rom. (Ol. 80, 3), XI, 79, 1.
- Aeetes, Solis f., Persae frater, Colchidis rex crudelissimus IV, 45, 1. Eius uxor Hecate, ex qua Circe, Medea et Aegialeum tollit 45, 3. Phrixi paedagogum Arietem (Crium) immolat, exuvias eius magna cura custodit oraculo doctus IV, 47, 5 sq. Ab Argonautis occiditur 84, 4. Secundum nonnullos a Perse fratre regno eiectus, postea Medae et Medi ope in pristinam dignitatem restituitur IV, 56, 1. Pontio ostium occupat IV, 56, 3.
- Aeetae portus, nunc Caieta, in Italia IV, 56, 6.
- Aegae, Macedoniae regia, a Pyrrho direptae; urbis sepulera a Gallorum praesidio profanantur XXII, 12.
- Aegeatas implorat Argaeus ut reditum suum in regnum adiuvent XVI, 3, 5.
- Aegeus, Pandionis f., ex Medea gignit Medum IV, 55, 5. Theseum agnoscit IV, 59, 6. An-

- drogeon ex insidiis occidit IV, 60, 4. Eius mors IV, 61, 7.
- Aegeus, Phorbantis f., Eleorum rex IV, 69, 3.
- Aegialea, Diomedis coniux VII, 1b.
- Aegialeus, Aetiae et Hecates f., IV, 45, 3.
- Aegimius, Dori filius IV, 58, 6. Doriensium in Hestiacotide rex 37, 3.
- Aegina, Asopi et Metopes filia IV, 72, 1. Ex Iove mater Aeaci IV, 61, 1; 72, 5.
- Aegina insula IV, 72, 5; XI, 70, 2. Ad eam post pugnam Salaminiam classem contrahit Leotychidas XI, 34, 2. Coloniam eo deducunt Athenienses XII, 44, 2.
- Aeginetae quamdiu maris imperium tenuerint VII, 13. Quem locum in proelio ad Salaminem occupaverint XI, 18, 2. Iis virtutis palmam post proelium Salaminium Lacedaemonii adiudicant 27, 2. Ab Atheniensibus deficient; obsidione ab iis cinguntur 70, 2 seq.; perdomantur 78, 4 seq. Urbe eiecti Thyreas habitandas a Lacedaemoniis accipiunt XII, 44, 2 seq. Post Thyreas expugnatas captivi a Nicia Athenas mittuntur XII, 65, 9. Aeginetas sibi adiungit Cassander XVIII, 69, 1.
- Aegis, Telluris filia, indomabile monstrum, a Minerva necatur III, 70, 4 sq.
- Aegisthus VII, 1b.
- Aegithallus in Sicilia ab Iunio consule munitur XXIV, 1, 10.
- Aegium in Peloponneso expugnat Aristodemus, dux Antigoni XIX, 66, 3.
- Aegospotami in Propontide XIII, 105, 2.
- Aegyptiacae machinae ab Iberis ad aquas e metallorum fodinis hauriendas adhibitae V, 37, 3.
- Aegyptii. Religio: Antiquissimi Aegyptii duos colebant deos, Solem et Lunam, sive Osirin et Isin I, 11, 1. Deinde etiam elementa, quae mundum constituunt, pro diis habebant, sc.: spiritum, ignem, siccitatem s. terram, humorem, aetherem; quorum mythica nomina sunt: Iuppiter, Vulcanus, Demeter s. Terra, Oceanus sive Nilus, Minerva I, 12. A septem his diis coelestibus distinguunt terrestres deos, sive mortales olim post mortem divinis honoribus affectos. Nomina ex parte eadem cum diis coelestibus sunt: Sol, Saturnus, Rhea, Iuppiter, Iuno, Vulcanus, Vesta, Mercurius. Ex iis nonnulli fuere reges Aegypti 1, 13. Dii elementorum quinque sub hominum vel animalium formis orbem peragrant 12, 9. Minerva cur virgo et glaucopis et Tritogenia et ex Iovis vertice nata esse putetur 12, 6 seqq. Nati dii sunt ad Nilum fluvium, ibid. Praeter nominatos Aegyptii Panem colunt, cuius in honorem Chemmis condita 18, 2. Phalli Osiridis effigiem in templis adorant 22, 6. Summopere reverentur Herculem, Iovis filium ex muliere anonyma, qui res maximas peregit civitatemque in Aegypto condidit. Eius imitator longe post fuit Hercules Alcmena natus Graecorum V, 76, 2. Aegyptiorum de Priapo fabula IV, 6, 3. Animalia sacra: feles, ichneu-

mon, canis, accipiter etc. I, 83, 1. Eorum curatio 83, 2. Qui sponte tale animal interficit, capitis damnatur 83, 6. Cultus animalium origo 86 seq. et 90. Apis et Mneuis tauri Osiridi dicati. Eorum cultus I, 21, 10; 11, 4; 85; 88, 4. Cultus crocodili 89; hirci 88, 1; lupi 88, 6; 18, 1. Aquilam Thebani colunt I, 87, 9. Sacerdotum tribus 73. Iis tertia terrae pars ab Iside data 21, 7. Quodvis eorum collegium apud se Osiridem funeratum putat I, 21, 9. Nilum ex Oceano nasci autumant 37, 7. Libros sacros asservant, in quibus regum recensent 44, 4. — Historia: Primus regnavit Sol vel secundum alios Vulcanus I, 13, 2. Post hunc Saturnus 13, 4. Eius liberi: Iuppiter et Iuno (Osiris et Isis): ex his nascuntur dii quinque, Osiris, Isis, Typho, Apollo, Venus. Saturno in regno succedit Osiris, ibid. Post hunc ultimus deorum regnat Horus 44, 1. Quot annos numerent a Solis regno usque ad Alexandri M. transitum in Asiam 26, 1. Dii reges quot quisque secula regnaverint 26, 2. Homines quantum temporis in Aegypto post deos regnum tenuerint usque ad Olymp. 180, I, 44, 1. Praeter indigenas Aegypti reges fuere Aethiopes, Persae et Macedones. Eorum tempora et numerus 44, 2 seqq. Primus post deos regnavit Menes 45, 1. Eius posterii 50 regnant ultra 1400 annos 45, 3. Sequitur Busiris cum aliis octo ex eius genere, quorum postremus item nominatur Busiris 45, 4. Ab hoc octavus

Uchoreus 50, 3. Huius nepos Aegyptus 51, 4. Post duodecim ab hoc aetates rex factus est Moeris 51, 6. Septem aetatibus post Sesoosis s. Sesostris 53, 1. Succedit filius, Sesoosis alter 59, 1. Multis seculis post regnum adeptus est Amasis 60, 1. Hunc excipiunt Actisanes Aethiops 60, 3, et Mendes s. Marrhus Aegyptius 61, 1. Deinde per quinque generationes anarchia fuit 62, 1. Tum rex creatur Cetes s. Proteus, belli Troiani tempore, ibid. Sequitur Remphis filius 62, 5. Quem excipiunt per septem aetates reges ignavi 63, 1. Unus ex his fuit Nileus, sed is tamen vir bonus (qui Nilo fluvio nomen dedit 19, 4), ib. Deinceps nominantur: Chemis, patria Memphites (regnavit a. 50), 63, 2; Cephren (regnavit a. 56) vel Chabryes, 64, 1; Mycerinus s. Mencherinus 64, 6; Bocchoris 65, 1. Multo post venit Sabaco Aethiops 65, 2. Anarchia per biennium 66, 1. Dodecarchia per annos quindecim, ibid. Psammetichus 66, 8. Quattuor aetatibus post Apries, qui regnat 22 annis 68, 1. Amasis (qui regnat 55 annis usque ad Olymp. 63, 3) I, 63, 6. Aegyptii ab Psammeticho deficientes in Aethiopiam migrant I, 67, 3 seqq. Aegyptii Aethiopum coloni III, 3, 1. Post Phoenices maris imperium tenent VII, 13. Quot naves Xerxi contra Graecos profecturo suppeditaverint XI, 3, 7. Ab Artaxerxe deficientes Inarum sibi regem creant; ab Atheniensibus auxilia pe-

tunt 71, 3 seqq. Horum subsidiiis firmati Achaemenem Persarum ducem clade afficiunt et obsidione cingunt in Albo muro inclusum 74. Posthabitis Atheniensibus sociis, in gratiam redeunt cum Persis 77, 3. Nephereus rex comeatum Spartanis mittit XIV, 79, 4. Euagoram adiuvant contra Artaxerxem Memnonem XV, 14, 2. Acoris rex cum Glo foedus init contra Persas XV, 9, 3. Chabriam oppugnant, sed infeliciter, Nectanebide rege XV, 42, 5. Tachos rex cum Artaxerxe bellum gerit XV, 90. Agesilaus et Chabrias illi militant XV, 92. Deficiunt a Tacho Aegyptii duce Nectanebo eius filio; Agesilaus Tachum restituit, ibid. Deficiunt ab Ocho sub rege Nectanebo XVI, 40. Bellum cum eo infelix XVI, 46. Rebelles Oclhus domat iisque praefectum dat Pherendatem XVI, 51. Persarum imperium exosi libenter excipiunt Macedones XVII, 49, 2. A Perdicca iis praeficitur Ptolemaeus Lagi XVIII, 3, 1. Vide Ptolemaeos. Colonias antiquissimis temporibus Aegyptii deduxerunt in Babyloniam sub Belo, in Colchidem, Arabiam, Graeciam I, 28. — Instituta, mores: Regum vita accuratissime ordinata; eorum munera, officia, victus I, 70 seq. De mortuo rege luctus publicus, et de virtute defuncti iudicium 72. Regina plus potestatis et honoris habet quam rex 27, 2. Respublica distincta est in tres classes: regum, sacerdotum, militum, et

in alteras tres: agriculturalium, pastorum, opificum I, 73 seq. Qua in re Aegyptios imitati sunt Athenienses 28, 5. Iudiciorum ratio: concilium triginta virorum, quorum decem Heliopolitani, decem Thebani, decem Memphitae 75, 1 seqq. Praesidis insigne veritatis simulacrum 75, 5. Legum corpus 75, 6. Legislatores Mneuis, Sasychis, Sesosis, Bocchoris, Amasis, Darius 94, 95. Aegyptiorum leges pleraeque Aethiopiae sunt, quod coloniae maiorum instituta servarunt III, 3, 3. Litigantes scripto agere oportet I, 75. Non admittuntur causidici 76. Leges de criminibus 77 et 78; de commerciis 79; de furto 80, 1 seq. Aegyptiorum matrimonia puero-rumque educatio 80, 3. Sororem uxorem ducere licet 27, 1; uxoris in maritum potestas, 27, 2. Funerum ritus et secandorum et condiendorum corporum ratio 91. De mortuis iudicium publicum 92. Defunctorum cultus quam vim exerceat in mores viventium 93. Aegyptii vitae tempus exigui, post mortem memoriam maximi faciunt 51, 2. — Studia geometriae, arithmeticae et astrologiae 81, 2 seq. earumque artium se putant inventores 69, 5. Palaestram musicamque non exercent 81, 7. Astrologiae scientiam ab Acti, Solis filio, accepere V, 57, 2. Quomodo contendere potuerint ipsos omnium primos astrorum notitiam habuisse V, 57, 4. Aegyptii Chaldaeorum magistri I, 81, 6. Aegyptiorum ars

medica I, 82. Literarum, ipsorum inventi 69, 5, genera 81, 1. Literas hieroglyphicas ab Aethiopiis acceperunt III, 3, 4 et III, 4. Chronologiae Aegyptiacae rationes I, 26, 3. Annus solaris I, 50, 1 seq. Intercalares dies quinque 13, 4. Quot annos numerent ab ortu generis humani ad bellum Troicum 24, 2; ab Osiride ad Alexandrum I, 23, 1. Conf. I. 26, 1 et 2; 44, 1. Aegyptii meridionales diluvii tempore servati esse videntur 10, 4. Aegyptiorum victus antiquissimus, vestitus, habitationes I, 43, 1 seqq. Hominem lacustre animal esse censent 43, 2. In Aegypto primum fruges germinasse contendunt V, 69. Agri cultura compendiosa et molestiae experta I, 36, 4. Exundationis tempore Aegyptii feris et epulis indulgent 36, 10. Gradum, ad quem Nili incrementa quotvis anno pervenerint, diligenter literis consignant 36, 12. Panem e loto faciunt 35, 6; bellariorum loco bata edunt 34, 9. Zythum, potum ex hordeo, bibunt 34, 10. Cici plantae liquore pro oleo utuntur. — Crocodili et hippopotami venatio 35. Aegyptiorum inhospitalitas locum dedit fabulae de Busiridis immanitate I, 57, 11. Iter facientes ad reditum usque comas alunt I, 18, 3. — Aegyptiorum contra Graecos, Aegyptios deos, heroes, colonias sibi vindicantes, disputatio I, 23 seq. Conf. 29, 4.

Aegyptus, nomen antiquum Nili fluvii I, 19, 4. III, 66, 3.

Aegyptus, Memphidis filius, a

quo Aegyptus regio nuncupata I, 51, 4.

Aegyptus. Terrae ortus secundum Aethiopum narrationem III, 3, 2. Unde nomen habeat I, 51, 4. In ea primi homines et animalia provenerunt. Rei argumenta I, 10, 1 seqq. Benvigina regionis temperies, ib. Fines mediterranei 30; pars maritima 31, 1. Undique benemunita est; forma oblonga; latitudo; olim populosissima; urbium numerus secundum commentarios sacros; quantus Ptolemaei Lagi temporibus fuerit 31, 6. Multas habet urbes a diis nominatas 12, 6. Regionis indoles 30. Plantae: lotus 34, 6; 10, 1; ciborium 34, 6; persiae arbores 34, 7; sycamini 34, 8; bata quae vocantur 34, 9; cici 34, 11; faba Aegyptiaca 10, 1; calami radix et corsaeum, ibid.; agrostis 43, 1. Bestiae: crocodilus 35, 1; ichneumon 35, 7; hippopotamus 35, 8. Piscium copia in Nilo 36, 1; in Moeridis lacu 52, 5. Auri metalla habet in Aethiopiae confiniis II, 12. Regio in triginta *νομοῖς* a Sesoosi divisa; ager inter tres ordines sacerdotum, regum et militum distributus 54, 3. 73. Urbes templis ornavit aliisque commodis auxit Sesoosis, 55, 11 seqq. Idem orientale regionis latus muro firmavit contra Syrorum et Arabum incursiones 57, 4. Emporia peregrinis primus aperuit Psammetichus 68, 9. Ad fines meridionales ante Ptolemaicum Philadelphum nemo Graecorum penetravit 37, 4. Aegyptum qui adierint Graeci sa-

- pientia et doctrina celebres 96; Homerus 12, 10; 69, 5; Orpheus 23, 2. 69, 5; Perseus 24, 8; Pythagoras, Solon 69, 5. Quo tempore Diodorus eo profectus 44, 1. Aegyptum subegit Ninus II, 2, 3; peragravit Semiramis II, 14, 3.
- C. Aelius (Q. Aulius?), consul (Ol. 114, 3) XVIII, 26, 1.
- Q. Aelius, consul (Ol. 115, 3) XVIII, 58, 1.
- Aella Amazon IV, 16, 2.
- Aelori in Sicilia XXIII, 4.
- Aemilia, soror Aemilii Paulli, coniux Scipionis Africani maioris XXXI, 27, 3.
- Aemilius, tribun. militum cons. pot. (Ol. 98, 3) XV, 2, 1.
- C. Aemilius, tribun. mil. cons. pot. (Ol. 97, 2) XIV, 97, 1. [Quinam ex consulibus vel tribunis, qui sequuntur, ad eandem personam referendi, de multis quidem ex Livio dici posset, sed de aliis multis, quae est Livianorum et Diodoreorum fastorum summa discrepantia, semper erit dubium. Quare nos satis habebimus singula nomina ex ordine enumerare, nulla inter ea facta distinctione.]
- C. Aemilius, tribun. mil. cons. pot. (Ol. 98, 1) XIV, 107, 1.
- L. Aemilius Mamercus, consul Rom. (Ol. 75, 3) XI, 38, 1.
- L. Aemilius Mamercus, consul Rom. (Ol. 76, 4) XI, 52, 1.
- L. Aemilius Mamercus, consul Rom. (Ol. 78, 1) XI, 65, 1.
- L. Aemilius, tribun. mil. cons. pot. (Ol. 99, 2) XV, 15, 1.
- L. Aemilius, tribun. mil. cons. pot. (Ol. 102, 1) XV, 50, 1.
- L. Aemilius, tribun. mil. cons. pot. (Ol. 102, 4) XV, 61, 1.
- L. Aemilius Mamercus, consul Rom. (Ol. 104, 2) XV, 82, 1.
- L. Aemilius, consul Rom. (Ol. 105, 1) XVI, 2, 1.
- L. Aemilius, consul Rom. (Ol. 110, 3) XVI, 84, 1.
- L. Aemilius Paullus consul Celtas vincit regionesque eorum populatur XXV, 13. In Macedonia post proelium Scipionem filium desiderat aliquamdiu, mox sospitem recipit XXX, 22. Eius coram Perseo captivo habita oratio 23, 1. In eum humanitas 23, 2. Cum decem legatis res Macedoniae et Illyriae ordinat XXXI, 8, 3 seqq. Per triduum triumphat 8, 9. Eius dictum 8, 12. Mitiori custodiae Perseum tradit 9, 4. Eius post mortem duorum liberorum oratio in plebis concione habita 11. Eius mors 25; funus 25, 2; laus 26. Conf. XXIX, 22, et XXX, 20.
- M^r Aemilianus (i. e. Aemilius) Mamercus, tribun. mil. cons. pot. (Ol. 87, 2) XII, 38, 1. Dictator contra Fidenates bellum gerit XII, 80, 7. Consul creatur (Ol. 93, 2) XIII, 76, 1.
- M^r Aemilius Marcus (Mamercus), trib. mil. cons. pot. (Ol. 95, 3) XIV, 44, 1.
- M. Aemilius, consul Rom. (Ol. 108, 3) XVI, 59, 1.
- M. Aemilius, consul Rom. (Ol. 119, 3) XX, 106, 1.
- M. Aemilius Lepidus, Philippo regi ad Abydum versanti senatus consultum de sociis affert XXVIII, 6. Consul ob saginam ad belli negotia parum aptus XXXIII, 27.
- Q. Aemilius, consul Rom. (Ol. 116, 1) XIX, 17, 1.

- Q. Aemilius Mamercus, consul Rom. (Ol. 79, 3) XI, 74, 1.
- Tib. Aemilius Mamercus, consul Rom. (Ol. 111, 1) XVI, 91, 1.
- T. Aemilius Mamercus, consul Rom. (Ol. 78, 4) XI, 69, 1.
- Aeneas, Anchisae et Veneris f. IV, 74, 5. Veneris Erycinae templum donariis ornat IV, 83, 4. Aeneae pietas VII, 2; quoniam anno regnum in Latinos acceperit VII, 3, 2; eius filius et in regno successor Ascanius VII, 3, 3. Oraculum Aeneae datum VII, 3, 4. Eius e Silvia filius Silvius VII, 3 a., 1.
- Aeneas Silvius, Silvii filius, eiusque in regno successor VII, 3 a., 5.
- Aenianes Xerxi contra Graecos se adiungunt XI, 3, 2. Heracliam urbem oppugnant XII, 77, 4. A Lacedaemoniis deficient XIV, 82, 7. In bello sacro contra Phocenses pugnant XVI, 29, 1.
- Aenum, urbs Macedoniae XXXI, 10, 7.
- Aeoles cum Pelasgis et Tectamo Cretam occupant IV, 60, 2. Cum Neleo Peloponnesum invadunt IV, 68, 3.
- Aeoles cum Lesbiis et Tenediis quot naves Xerxi in Graeciam expediendi dederint XI, 3, 8. A Xanthippo et Leotycho in belli societatem recipiunt; in Europam transmigrare decernunt, sed mox a consilio desistunt XI, 37, 1 seqq.
- Aeolicae insulae septem V, 7, 1. Ignibus subterraneis saepe numero motae 7, 3. Occupantur ab Aeolo, Arnes et Neptuni filio IV, 67, 6. A Cnidiis et Rhodiis cultae vicinis annis per sortitionem dividuntur V, 9, 5. Conf. V, 10, 3; 12, 1.
- Aeolidis urbes Lysimacho a Prepelao conciliatae XX, 107, 2, 4.
- Aeolis, quae postea Thessalia vocata IV, 67, 2; 68, 1.
- Aeolus, Hellenis f., Deucalionis nepos IV, 67, 2. Salmonei pater 68, 1.
- Aeolus, Hippotae et Melanippe, f., pater Arnes IV, 67, 4. Liparae insulae appulsus Cyanen uxorem ducit; regnum insulae obtinet; ad eum venit Ulysses; eius de humano genere merita V, 7, 6 seqq. Eius progenies per multas aetates in Sicilia principatum tenet; postremo extincta est V, 8, 1 seqq. Pater Lapithae (esse debebat: Arnes, quae uxor erat Lapithae), avus Lesbi dicitur V, 81, 6.
- Aeolus, Arnes et Lapithae filius, Metaponti editus IV, 67, 4. Aeolidas inss. occupat; Liparam urbem extruit IV, 67, 6. De Aeoli insulis v. V, 7, XX, 101, 2. Ceterum confunditur a Diodoro Aeolus antiquior, Hippotae filius, cum Aeolo iuniore, ex Arne nato, prioris nepote.
- Aepythidarum e gente puellam immolare Messenii oraculo iubentur VIII, 6.
- Aequinoctiales regiones optimam coeli temperaturam habent. Dierum et umbrarum in iis rationes II, 56, 7.
- Aequinoctium verum. Ab eo usque ad ortum Pleiadum Apollo apud Hyperboreos degit II, 47, 7.
- Aequi, Italiae populus. Iis bel-

- lum inferunt, proelio eos vincunt Romani XI, 40, 5. Rebelles a Postumio dictatore debellantur XII, 64. Eorum urbes, Lavicos XIII, 6, 7, et Bolam, expugnant Romani XIII, 42, 6. Quartum iis bellum movent Romani XIV, 98, 4. Aequi Bolas obsidentes a M. Furio dictatore trucidantur XIV, 117, 3. A Romanis subiguntur XX, 101, 5.
- Aequiculi, qui antea Aequi nominabantur XIV, 117, 3.
- Aeropus post Philippum I rex Macedoniae, quem excipit Alcetas VII, 16, 5.
- Aeropus, Orestis Maced. regis tutor, per sex annos Macedoniae regnum tenet XIV, 37, 5. Moritur XIV, 84, 6.
- Aeropus, dux Alexandri Zabinae, cum Clonio et Antipatro Laodiceam occupat XXXIV, 22.
- Aesarus, fluvius Italiae inferioris, non procul a Crotone VIII, 17.
- Aeschines Sphettius, Socraticus, quae aetate vixerit XV, 76, 4.
- Aeschinis oratoris in Demosthenem dictum XVII, 4, 8.
- Aeschrion, Archagathi in Libya dux ab Hannone vincitur XX, 60, 3.
- Aeschrion Diodoti Tryphonis dux XXXIII, 28.
- Aeschyli tragici frater Amyntas XI, 27, 2.
- Aeschylus, Rhodius, e Cilicia in Macedoniam transvecturus mittitur pecuniam regiam, quam Antigonus intercipit XVIII, 52, 7.
- Aesculapius, Apollinis et Coronidis f., Iovis fulmine necatus IV, 71, 1, seq. Eius filii Machaon et Podalirius IV, 71, 4. Chirurgiam et medicamentorum confectionem invenit V, 74, 6. Templum eius Rhodi XIX, 45, 4. Templum eius Epidauricum a Sulla expilatum XXXVIII, 2, 9.
- Aesernini fame pressi servos urbe eiciunt, qui ad hostes transeunt XXXVII, 19, 1. Canibus vescuntur, ib. 2.
- Aeson, Crethi et Tyrus filius IV, 68, 3. Pater Iasonis IV, 40, 1. Tauri sanguinem bibere a Pelia cogitur IV, 50, 1.
- Aesopi, septem sapientum aequalis, de consuetudine cum tyrannis dictum IX, 28.
- Aethalia, insula e regione Populonii urbis Etruscae sita IV, 56, 5; V, 13, ferri ferax et mercatura celebris, ibid. Portum habet Argoum ab Argo nave nominatum IV, 56, 5. A Phayllo populatur; ab Apelle Syracusano in potestatem redigitur XI, 88, 4 seq.
- Aethiopes Aegypti domini I, 44, 2; 88, 7. Indigenae et soli proximi, primi hominum fuisse videntur III, 2, 1. Primi deos coluerunt, quare grati diis et tuti ab externorum populorum imperio III, 2, 2 seq.
- Aethiopum colonia ab Osiride deducta est Aegyptus III, 3, 1. Aethiopum et Aegyptiorum leges et instituta pleraque sunt eadem III, 3, 3 seq. Literarum genus hieroglyphicum idem apud utrosque III, 3, 4. Aethiopum leges singulares III, 5, 7. Aethiopum gentes, quae extra Aethiopiae fines habitant III, 8, 1. Aethiopum corpora, ingenia, lingua, arma, vestitus, virtus III, 8, 2 seqq. Aethiopum, qui su-

- pra Meroen habitant, de diis opiniones III, 9, 1. Isidem, Panem, Herculem et Iovem colunt III, 9, 2. Aethiopes nonnulli athei, ibid. Sepe-
liendi ritus varii III, 9, 3 et II, 15. Sexcentesimo quoque anno terram lustrant. Qua ratione II, 55, 3. Reges creant alii viros formosissimos, alii pastores optimos, alii opulentissimos III, 9, 4. Eorum de regionibus amoenissimis et fertilissimis perpetua cum Afris certamina III, 10, 1. — Aethiopes Ichthyophagi ad sinum Arabicum habitantes III, 15. Ichthyophagi Aethiopes etiam Menam urbem in Hespera insula habitasse quondam dicuntur III, 53, 6. Aethiopes Chelonophagi describuntur III, 21. Rhizophagi, quos leonum multitudo infestare solet III, 23. Hylophagi, Spermatophagi III, 24; Venatores III, 25. Elephantomachi III, 26. Simi et Struthophagi III, 28. Acridophagi III, 29.
- Aethiopiae in Aegypti confiniis metalla describuntur III, 12 — 14. Regionis bestiae III, 35, 36. Auster ibi serenus, quum apud nos sit nimbosus I, 41, 10. Lacum habet naturae singularis II, 14, 4. Aethiopiae ferae II, 51, 1. Aethiopiam adiit Osiris, uribus frequentavit et vectigalium exactores ibi reliquit I, 17, 3; 18, 4, 6. Subiecit eam Sesostri I, 55, 1. Iuppiter in Aethiopia I, 97, 2. Adierunt Semiramis II, 14, 4; III, 3, 1. Hercules et Bacchus, ibid. Huc migrant Aegyptii, qui a Psammeticho defecerant I, 67, 3. Cambysae in eam expeditio X, 13, 3. Rerum Aethiopicarum scriptores III, 11. Aethiopici montes I, 32, 2. Aethiopicus lapis I, 91, 4. Sepultura II, 15, 1.
- Aethra, Pithei f., ex Neptuno mater Thesei IV, 59, 1. Captiva a Dioscuris abducitur IV, 63, 5.
- Aetnae ignes IV, 21, 5; in crateribus faces accendit Proserpinam quaerens Ceres V, 4, 3. Montis eruptiones Sicanos coegerunt ut orientali Siciliae parte relicta in occidentalem se conferrent V, 6, 3. Aetnae et insularum Aeolicarum ignes coniuncti sunt, alternatimque ardent V, 7, 4. Aetnae eruptio XIV, 59, 3. Pietas filiorum in parentes inter Aetnae ignes XX, 101, 3.
- Aetna, urbs Siciliae ad Aetnam montem XI, 26, 7; XIV, 7, 7; 58, 2. Antea vocata est Catinia, ubi vide, XI, 49, 1. Urbem capit Dionysius XIV, 14, 2.
- Aetnaeus Iuppiter v. Iuppiter.
- Aetoli Mycenae ab Aegistho traducti VII, 16. De Demosthene Atheniensium duce victoriam reportant; Molycriam capiunt; contra Naupactum arma movent XII, 60, 1 seq. Eleis a Pausania rege bello petitis auxilia mittunt XIV, 17, 9. Post pugnam ad Leuctra Thebanis se adiungunt XV, 57, 1. Post Philippi obitum de reducendis Acarnanum exulibus, quos rex extorres egerat, decretum faciunt XVII, 3, 3. Alexandri edictum, quo exules in patriam recipiendi erant, moleste ferunt XVIII, 8, 6. Leo-

- stheni copias tradunt ad bellum Antipatro inferendum 9, 5. Aetoli, qui Leostheni se adiunxerant, ex Thessalia in patriam revertuntur 13, 4. Aetolis bellum inferunt Antipater et Craterus, sed mox maioribus rebus occupati pacem cum iis componunt XVIII, 24—25, 5. Absente Antipatro in Thessaliam irrupentes plerasque urbes sibi adiungunt; interea Acarnanes Aetoliam incursant; quare patriam redeuntes liberant; pars exercitus in Thessalia relicta a Polysperchonte debellatur XVIII, 38. Olympiadi gratificaturi transitum per Thermopylas Cassandro intercludere statuunt XIX, 35, 2. Cum Antigono faciunt XIX, 66, 1. Quare Cassander cum hostibus eorum Acarnanibus arma iungit XIX, 67, 3. Agrinium obsidet, urbeque potiuntur XIX, 68, 1. A Philippo, Cassandri duce, in summas angustias rediguntur XIX, 74, 3 seqq. Cum Antigono societatem ineunt XIX, 75, 6. Aetolorum de pace legatio XX, 99, 3. Cum Aetolis pacem facit Demetrius XX, 100, 6. Aetolorum praetor Dorimachus Dodonaeum templum spoliat XVI, 9. Antiocho M. iuncti, mox partes eius derelinquunt XXIX, 3. Amicitiam pacemque petentes Romam veniunt XXIX, 4. Eorum legati in senatu Romano XXIX, 9. Spes tabularum novarum omnia apud eos miscet XXIX, 33.
- Aetoliam populantur Athenienses duce Demosthene XII, 60, 1. V. Aetoli.
- Africa. V. Libya.
- Agalassenses, Indiae populum, Alexander proelio vincit XVII, 96, 2.
- Agamemnonis Argivorum regis naves quattuor Troia redeuntes tempestate ad Calydnam insulam deferuntur V, 54, 2. Agamemnon relictos in Creta milites diris devovit XXXIII, 11.
- Agamemnonis Cilicis opera Italicis navata contra Romanos XXXVII, 19.
- Agarus, Scytharum rex, ad quem Parysades, Satyri regis filius, confugit XX, 24, 3.
- Agassamenus, post Butae interitum dux Thracum in Naxo insula V, 50, 6. Ei in connubium datur Pancratis, ibid.
- Agatharchidis Cnidii de Nili incrementis sententia I, 41, 4. Eius liber secundus de rebus Asiaticis laudatur III, 11, 2. Idem de populis maritimam oram prope sinum Arabicum incolentibus III, 18, 4 seqq. De solis occasu in meridionalibus terrae regionibus III, 48, 4.
- Agatharchus, Syracusanorum nauarchus XIII, 13, 2.
- Agatharchus, Agathoclis filius in Libya interfectus XX, 69, 8. V. Archagathus.
- Agatharchus, Agatharchi filius. V. Archagathus.
- Agathiadas, Phalanthi amasius, ne hunc Lacedaemonii occiderent effecit VIII, 21.
- Agathocles (Syracusanus) suis sumptibus aedem exstruxit Minervae; sed insolentia sua in iram deae incurrens una cum domo sua conflagravit VIII, 9.
- Agathoclis Syracusani natales, parentes, fata usque ad ty-

rannidis occupationem XIX, 2—9. Eius in Messanos expeditiones; Mylas castellum capit; mox vero reddit a Carthaginensibus coactus XIX, 65, 1 seqq. In Abacaeninos adversantes animadvertit 55, 6. Ei bellum inferre decernunt Agrigentini XIX, 70, 1; sed non multo post rebus compositis foedus cum eo in eunt 71, 6. Otio fruens copias auget ad bellum, quod a Carthaginensibus sibi illatum iri praevidet 72, 1 seq. Messeniorum urbe per dolum potitus, exules Syracusanos, qui eo confugerant, mactat 102, 1 seqq. Carthaginensium in Sicilia agros vastat castellaque expugnat 102, 8. Centoripinos novarum rerum studiosos iugulat 103, 4. Naves nonnullas Carthaginensium capit 103, 5. Missis ducibus Dinocratem et Philonidem proelio vincit 104, 2. Carthaginenses ad pugnam lacessit, sed his proelium detrectantibus Syracusas recedit 104, 4. Hostem copiis praevalentem metuens, Gelam per dolum occupat; civium plerosque mactat; magnam vim pecuniae corradit, ubique validum imponit praesidium. Iam ex adverso Carthaginensium castra ponit 107. Proelio commisso primum superior est, mox victus Gelam se recipit 108, 109. Inde Syracusas reversus urbem firmat bellumque in Africam transferre molitur 110, 5; XX, 3. Milites instruit; ne qui per absentiam eius res novas molirentur efficit; pecunias vi et scelere corradit 4.

In Africam transiit 5. Copias ad Lapidinas expositis, naves accendit, ne refugium milites haberent XX, 7. Quare imitatus est Alexandrum XVII, 23, 2. Deinde exercitum per regionem amoenissimam ducit ad Megalopolin et Album Tunetem, quas urbes expugnat et evertit XX, 8. Copias contra hostem educens animos militum ingenioso commento auget 11. Proelio commisso victoriam deportat castraque Carthaginensium diripit 12. Victoriae nuntios Syracusas mittit 16, 2. Supra ducentas Libyae urbes in potestatem redigit 17. Nova Carthaginensium clade afficit 18, 2. Hamilcaris caput e Sicilia transmissum Carthaginensibus ostendit 33, 1. Archagathi filii temeritate in summum venit vitae periculum, sed sua virtute inde se expedit, et ducto in hostem exercitu magnam edit stragem 33, 3—34, 7. Acri deinde proelio commisso iterum victor abit 38. Dum hostem insequitur, Numidae castra ipsius diripiunt 39, 2 seq. Captivos Graecos contra datam fidem mactat 39, 4. Ophellam, Cyrenarum principem, in belli societatem allicit 40, 1 seq. Socium, quum advenisset, perfide opprimit eiusque exercitu potitur 42, 3 seqq. Naves spoliis refertas Syracusas mittit, quarum tamen pleraeque exorta tempestate demerguntur 44, 7. Antigoni exemplum secutus regem se declarat, diademate autem non utitur 54, 1. Uticenses rebelles perdomat, crudelis-

sime in eos saeviens 51, 2—55, 2. Plurimis Libyae uribus subactis 55, 3, de rebus patriae anxius in Siciliam redit, relicto in Africa Archagatho filio 55, 5. Redux Heraclotas et Thermitas subigit, Cephaloedium expugnat, Centoripa ingressus expellitur; Apolloniam capit 56, 3 seq. Novus contra eum libertatis vindex existit Dinocrates, dux exulum; Agathoclis res in deterius vergere coeperunt 57, 2 seq; proelio navali Carthaginienses vincit 61, 5, seqq.; per Leptinem ducem Agrigentinos fundit 62. Ob duplicem victoriam sacra diis facit; ingenium regis inter pocula conspicuum 63, 1 seqq. Cives adversantes ipsi quingentos mactat 63, 6. Denovo in Africam transiit, filio duabus cladibus afflicto opitulaturus 63, 7. Castra Carthaginiensium aggressus magno cum damno repellitur 64. Nova calamitate afficitur 67. Cum Heraclide filio natu minori clam Syracusas reverti constituit, verum re per Archagathum filium militibus aperta, corripitur, vinetusque traditur custodiae 68; mox vinculis solutus evadit 69, 1 seqq. Filios derelictos milites occidunt, et cum Carthaginiensibus transigunt 69, 3. Agathocles eodem die et mense, quo Ophellam necaverat, filios et copias perdidit 70, 3. In Siciliam reversi immanis erga Segestanos crudelitas 71. Filiorum caedis certior factus, militum cognatos Syracusis per Antandrum fratrem trucidat 72. Deficit ab eo

Pasiphilus 77, 2. Quamobrem animo deiectus, cum Dinocrate, exulum duce, transigere tentat 77, 3. Dinocrate condiciones propositas non admittente, apud exules eum criminari studet, missisque legatis pacem cum Carthaginiensibus init 79. Exercitum ducit contra Dinocratem, proelioque ad Torgium commisso victoria potitur; captos contra datam fidem obtruncat 89; Dinocratem, resarta gratia, exercitus parti ducem praeficit 90, 1. Liparacis iniustum bellum infert; scelebris poenas dat 101, 1 seqq. Coreyam a Cassandro obsessam liberat XXI, 2, 1—3. Ligures et Tyrrhenos stipendia solvi postulantes trucidat; Bruttiorum urbem obsidere instituit, sed magno cum damno repulsus redit Syracusas 3, 1. Dolo usus imparatos aggreditur Crotoniatas, urbem capit, cives trucidat. Cum Iapygibus et Peucetiis societatem init; redit Syracusas 4. Iterum in Italiam transgressus Stilponem Bruttiorum agros infestare iubet; ipse Hipponiatarum urbem capit; deinde redit Syracusas 8. Cum Demetrio rege foedus init per Agathoclem filium 15. Expeditionem novam in Africam molitur; Agathoclem filium successorem ipsius designat; insidiis Archagathi nepotis veneno interficitur et vivus adhuc comburitur; mortui bona publicantur et destruuntur imagines 16. Agathoclis filia Lanassa XXI, 4. XXII, 8, 2. Timaeum historicum exilio

- multaverat, quare hic odio tyranni flagrans multa de eo mendacia historiis mandavit 17. Muneribus cumulaverat Calliam; quare supra modum ab eo in annalibus laudatur, *ibid.* Agathoclis virtus, quippe qui minimis praesidiis usus maximam adeptus sit dominationem, *ibid.*
- Agathocles, Agathoclis filius, a patre ad foedus pangendum ad Demetrium regem missus XXI, 15. Regni successor ab Agathocle patre designatus ab Agatharcho interficitur XXI, 16.
- Agathocles, Lysimachi regis f., a Thracibus captus cum muneribus ad patrem remittitur XXI, 11.
- Agathocles, archon Athen. (Ol. 105, 4) XVI, 9, 1.
- Agathon Pydnaeus arcis Babyloniae custodiae ab Alexandro M. praefectus XVII, 75, 2.
- Agathon, frater Asandri, Cariae praefecti, Antigono ob ses traditur, mox e custodia a fratre eripitur XIX, 75, 2.
- Agathyrnitis, regio Siciliae, quam occupat deque se nominat Agathyrnus V, 8, 2.
- Agathyrnus, Aeoli f. V, 8, 1.
- Agae, Cadmi et Harmoniae f. IV, 2, 1.
- Agelas Bacchidi in regno Corinthiorum succedit VII, 9, 4.
- Agemon, patruus et tutor Telestis regis Corinthii, quem regno spoliavit VII, 9, 5.
- Agenor, pater Cadmi et Europae IV, 2, 1; V, 48, 5; 57, 5; 58, 1, et 78, 1.
- Agesilaus I Agida post Dorysum rex Lacedaemoniorum VII, 8, 3.
- Agesilaus II, post Agidem II rex Lacedaemoniorum, contra Persas in Asiam traiecit XIV, 79, 1. Regiones maritimas vastat 79, 2 seq. In hiberna Ephesum redit 79, 3. Inter Sardes et Thybarna Tissaphernem proelio vincit; ad mare exercitum reducit 80, 1 seqq. Cum Tithrauste semestres inducias facit 80, 8. Ex Asia revocatus per Thraciam, Macedoniam, Thessaliam in Boeotiam tendit 83, 1 seqq. Ad Coroneam proelium committit; vulneratus Delphos transportatur 84, 1 seqq. Studiis et moribus ab Agesipolide collega dissidet XV, 19, 4. Eius frater Teleutias XV, 21, 2. Summus belli dux creatus XV, 31, 3, in Boeotiam movet; proelium oblatum aversatur; agros vastat 32. In Peloponnesum redit 33, 4. Iterum in Boeotiam movens pari Marte cum Thebanis pugnat XV, 34, 1 seq. In Tegeatarum fines irruptionem facit XV, 59, 4. Tacho regi dux est mercenariorum XV, 92, 2. Prudenti eius consiliis non obtemperat Tachos 92, 3. Aegyptum Tacho regi recuperat; domum rediens in itinere moritur XV, 93, 2 seqq.
- Agesilaus, ab Antigono legatus in Cyprum missus XIX, 57, 4; 59, 1.
- Agesipolis I, Pausaniae patri in regno Lacedaemoniorum succedit XIV, 89, 1. Argivorum agros vastat XIV, 97, 5. studiis et moribus dissidet ab Agesilao collega XV, 19, 4. Contra Olynthios bellum gerit XV, 22, 2; moritur 23, 2.
- Agesipolis II, post patrem Cleombrotum I rex Lacedaemo-

- niorum, per unum tantum annum regnat; succedit Cleomenes frater XV, 60, 4.
- Agis I, post Eurystheum rex Lacedaemoniorum VII, 8, 3.
- Agis II, post Archidamum II rex Lacedaemoniorum, 27 annis regnum tenet XII, 35, 4. Copias contra Argivos educit; inducias facit 4 mensium XII, 78, 3. Redux vix supplicium effugit 78, 6. Argivos ad Mantineam vincit 79, 4 seqq. Deceleam in Attica occupat XIII, 9, 2. Ex Decelea profectus Athenas subito impetu infestat; repulsus, vastata Attica, in Peloponnesum regreditur XIII, 72. Cum Pausania Atticam invadens sub moenibus Athenarum castra ponit XIII, 107; 2. Spartam urbem prudentia sua servat XV, 82, 6.
- Agis III, Archidamo patri in regno Lacedaemoniorum succedit; regnat 15 annis XVI, 63, 2; novem annis XVI, 88, 4 et XVII, 63, 3. Pro Dario Codomanno expeditionem in Cretam facit, ubi pleraque oppida Persarum partes sequi cogit XVII, 48, 1 seq. In proelio contra Antipatrum cadit XVII, 63, 3 seq.
- Agis, Paeonum rex, e vita decessit XVI, 4, 2.
- Agis, Ptolemaei I dux, Cyrenaeos rebelles domat XIX, 79, 2.
- Aglaia, Amythaonis uxor, mater Melampodis et Biantis IV, 68, 3.
- Aglaia, Charopi uxor, mater Nirei V, 53, 2.
- Agrestes, Africae populus III, 31. Conf. Cynamolgi.
- Agreus i. q. Aristaeus IV, 81, 1.
- Agrigentorum Camicus IV, 79, 1. Agrigentini post victoriam Himerensem magna captivorum copia potiti, adhibent eam ad publicorum monumentorum (templorum, cloacarum, piscinae) exstructionem agrique culturam XI, 25, 3 seqq. Post victum a Syracusanis Thrasydaeum tyrannum, populare imperium restitunt, pacemque ab Hierone impetrant XI, 53, 5. Auxilia mittunt Syracusanis contra Thrasybulum 68, 2. Agrigentini Hieronis tempore urbe pulsati in patrias sedes redeunt 76, 4. A Ducetio proelio victi Motyum castellum ei tradere coguntur 91, 1 seq. Mox impositum praesidium eiiciunt, et cum Syracusanis coniuncti Ducetium prorsus debellant 91, 5. Bellum movent Syracusanis; ad Himeram vincuntur XII, 8. Agrigentini Atheniensium socii XIII, 4, 2. Selinuntios, quorum captivitatem effugerunt, humanissime excipiunt 58, 3. Adventante Hannibale et Himilcone, opes ex agris in urbem comportant 81, 3; eorum divitiae 81, 4 seqq. Agrigentorum ditissimi Teliastis et Antisthenes XIII, 83, 84. Ab Hannibale obsessis operam navat Dexippus Lacedaemonius XIII, 85, 3. Auxilia ferunt Syracusani XIII, 86, 4 seqq. Agrigentini duces oppidanos ignaviae vel prodicionis accusant, in eosque animadvertunt XIII, 7, 4 seqq. Fame pressi, relictis in urbe senibus, Gelam fugiunt et deinde Leontium urbem inhabitandam a Syracusanis acci-

- piunt XIII, 89. A Dionysio deficient XIV, 88, 5. Syracusanorum exulum suasu bellum contra Agathoclem suscipiunt; Geloos et Messanos sibi adiungunt; Acrotatum Lacedaemonium imperatorem arcessunt XIX, 70, 1 seqq., sed tyranni in modum se gerenti imperium abrogant, et bellum cum Agathocle componunt XIX, 71. Imperium Siciliae sibi vindicare tentant; misso Xenodico duce Gelam, Ennam, Herbessum, Echetlam, Camarinam et Leontium in libertatem vindicatas sibi adiungunt XX, 31, 2 seqq. Xenodico ab Agathoclis ducibus victo ab inceptis desistunt XX, 56, 3. Iterum proelio funduntur a Leptine Agathoclis duce XX, 62. Carthaginensium praesidium habent, ne Phintias urbe potiatur; id deinde exturbant, urbemque dedunt Pyrrho XXII, 10, 1. Ad societatem armorum eos adducere studet Hanno XXIII, 1, 2. Capit XXIII, 9, 1. Ager eorum a Cleone Cilice servorum ductore vastatur XXXIV, 14, 3.
- Agrigentinus taurus**, olim Carthaginem ablatum, ab Scipione Agrigentinis redditus XXXII, 25.
- Agrigenti opulentia**, templorum magnificentia XIII, 81, 4; 82. Ab Hannibale et Himilcone urbs obsidetur XIII, 85; capitur et evertitur XIII, 90. Agrigentum tenet Sosistratus XXII, 8, 4. A Romanis capitur XXIII, 7, et 8, 3. Post naufragium Romanorum a Carthalone Carthaginien-
- se occupatur et incenditur XXIII, 18, 1. Conf. Agrigentini.
- Agrinium**, urbs Acarnaniae XIX, 67, 4. Ab Aetolis capitur XIX, 68, 1.
- Agrippa**, post Tiberium rex Latinorum VII, 3, a. 9.
- Agrippa Furius**, consul Rom. (Olymp. 85, 2) XII, 30, 1.
- Agrippa Curtius Chilo**, consul Rom. (Ol. 85, 3) XII, 31, 1.
- T. Agrippa Menenius**, consul Rom. (Ol. 87, 1) XII, 37, 1.
- Agrippa Menenius**, tribun. militar. cons. pot. (Ol. 91, 3) XIII, 7, 1.
- Agrostis**, planta Aegypti I, 43, 1.
- Agylla**, Etruriae urbs, cuius agros populatur et templum in navalibus situm expilat Dionysius Syracusanus XV, 14, 3 seq.
- Agyrinaci** annua Herculi sacra facienda curarunt; pro his monumenta heros reliquit: lucum Herculeum, Geryonis lucum et fanum Iolai IV, 24, 2 seqq. Eorum lapides IV, 80, 4. Eorum tyranni Agyris XIV, 28, 6, et Apolloniades XVI, 81, 4. Primi a Phintia deficient XXII, 2, 3. Partem agri Ameseli urbis expugnatae iis dedit Hiero XXII, 13, 1.
- Agyris**, Agyrinacorum tyrannus, foedus cum Dionysio facit XIV, 78, 6. Contra Magonem ei auxiliatur XIX, 95, 3 seqq. Conf. XIV, 9, 3.
- Agyris (?)**, rex in Cypro insula, Persarum socius, quem Eua-goras interfecisse dicebatur XIX, 98, 2.
- Agyrium**, urbs Siciliae, patria Diodori I, 4, 4; XIV, 9, 2. A Magone oppugnatur XIV, 95, XXII, 13, 1.
- Agyrrhius**, dux Athen. in Thra-

- sybuli locum substituitur XIV, 99, 5.
- Aiacis (Oileo nati) patria Naryx in Locride XIV, 82, 8.
- Aiax, Telamonis et Eriboeae f. IV, 72, 7. Eius sepulcrum in Troade honorat Alexander XVII, 17, 3.
- Αἰγίoxos*, Iuppiter nominatur in oraculo, quo Aegarum urbem condere iubetur Perdiccas I, VII, 17. Nominis origo V, 70, 6.
- Aimnestus, Ennacorum tyrannus, a Dionysio dominatu eiectus civibus ad supplicium datur XIV, 14, 6 seqq.
- Alabon, fluvius Siciliae IV, 78, 1 [XXXVI, 4, 2. V. Alba].
- Alaesa, Archonidea, urbs Siciliae Herbitacorum colonia XIV, 19, 2.
- Alaesini in Sicilia initio belli Punici primi Romanis sese dedunt XXIII, 4.
- Alalcomenia, urbs Boeotiae XIX, 53, 6.
- Alba Silvius, rex Latinorum post Latinum Silvium VII, 3 a, 8.
- Alba Longa ab Ascanio condita VII, 3, 3.
- Alba flumen, quod postea Tiberis vocatum VII, 3, 3.
- Alba (Alabon?), fluv. Siciliae XXXVI, 4, 2.
- Albae puellae quae a Pythia dicantur XXII, 11, 5.
- Albanis bellum inferitur a Tullo Hostilio VIII, 25.
- Albanus lacus, in quem cum domo universa mersus est Amulius Silvius VII, 3 a, 11.
- Albanus carcer XXXI, 9, 1.
- L. (M.) Albinus, tribun. mil. cons. pot. (Ol. 102, 2) XV, 51, 1.
- F. Albus (L. Aemilius?), tribun. militum cons. pot. (Ol. 101, 3) XV, 41, 1.
- Albus murus in Aegypto XI, 74, 4, et 77, 2.
- Albus Tunes, urbs Libyae ab Agathocle capta evertitur XX, 8, 7.
- Alcaeus, primum Herculis nomen I, 24, 4; IV, 10, 1.
- Alcaeus, dux Rhadamanthi, a quo Parum insulam accipit V, 79, 2.
- Alcaeus poeta, Pittaci Mytilenaei inimicus IX, 12.
- Alcaeus, archon Athen. (Ol. 89, 3) XII, 73, 1.
- Alcmenes post Teleclem rex Lacedaemoniorum VII, 8, 3.
- Alcathous a Tydeo interficitur IV, 65, 2. Eius filia Eriboea IV, 72, 7.
- Alce, Olympi ex Cybele filia, quae ipsa etiam Cybele dicitur V, 49, 3.
- Alcestis, Peliae f., Admeti Thesali uxor IX, 52, 1; 53, 1. VI, 6, 6.
- Alcetas, post Acropum rex Macedoniae; ei successit Amyntas I, VII, 16, 5.
- Alcetas, Epiri regem exulem, in regnum reducere tentant Illyrii XV, 13, 2. Cum Atheniensibus societatem inquit XV, 36, 5.
- Alcetas, Arymbae filius, post Aeacidam rex Epiri, pater Alexandri et Teuceri; eius contra Lyciscum Cassandri ducem bellum XIX, 88. Facta pace cum Cassandro amicitiam iungit XIX, 89, 1; ab Epirotis una cum duobus filiis, Eione et Niso, trucidatur 89, 3.
- Alcetas, frater Perdiccae, copiarum dux sub Eumene imperatore militat XVIII, 29, 2.

Post necem fratris Perdicae a Macedonibus capitis damnatur XVIII, 37, 2. In Pisidia ab Antigono proelio vincitur; Termessum confugit; occiditur; cadaver eius Antigono traditur XVIII, 44—46, insectus abiectus a Termessensium iuvenibus honorifice sepelitur 47, 3.

Alcia, uxor Agathoclis XX, 33.

Alcibiades Periclem rationes pecuniarias reddere coactum consiliis suis adinvat XII, 38, 3. Cum exercitu Argivis se adiungit XII, 78, 1. Argivorum turbas intestinas componit XII, 81, 3 seq. Ut bellum Siciliense suscipiatur populo suadet XII, 84, 1. Ipse dux eligitur una cum Nicia et Lamacho 84, 3. Alcibiade auctore hermas omnes una nocte truncatas esse suspicio est XIII, 2, 5. Ad causam dicendam domum revocatur; fugam arripit; capitis damnatur; Spartam profectus Lacedaemonios ad bellum contra Athen. instaurandum excitat XIII, 5. Spartae Syracusanis patrocinatur XIII, 7, 2. Cum Agide in Atticam se confert XIII, 9, 2. Prohibito Pharnabazo ne Phoenicum classem Lacedaemoniis auxilio mittat, patriae gratiam et redeundi veniam consequitur XIII, 37, 2 seqq. In Samum ad Atheniensium exercitum venit XIII, 41, 4 seq. Theramene adhortante in patriam recipitur 42, 1 seq.; ex Halicarnasso et Meropide magnam praedam congerit; militum benevolentiam in Samo sibi conciliat 42, 3. Ex Samo in Hellespontum navigans ad

Mindari cladem prope Dardanum promontorium multum confert XIII, 46, 2 seq. Cum Thrasybulo et Theramene Lacedaemonios magna clade afficit XIII, 50 seq. Ex Pharnabazi provincia ingentem praedae vim congerit XIII, 64, 4. Cum Thrasylo Lampsacum munit; deinde cum eodem Therameni se adiungit Chalcedonemque oppugnat XIII, 66, 1 seqq. Thraciae et Chersonesi incolas in partes suas trahit XIII, 66, 3; Selybria proditione potitur; Therameni iterum se adiungit cum eoque Byzantium capit 66, 4 seqq. Post subactas urbes Hellesponti cum collegis Athenas redit; magno applausu excipitur; eius ingenium, virtus, oris suavitas XIII, 68 seq. Totius exercitus summus imperator creatur XIII, 69, 3. Eius expeditio in Andrum, Con et Rhodum 69, 4 seq. Ad Notium classem in ancoris sistit; cum navigiis nonnullis Clazomenas traiecit; interea Antiochus, cui classem commiserat, contra mandata Lysandrum aggressus proelio vincitur; Alcibiades, hoste novum proelium recusante, Samum versus navigat XIII, 71. Cumaeos iniuste aggreditur XIII, 73, 3 seq. Ab his apud populum Athen. accusatur; simul aliorum criminationibus oppressus classis imperium Cononi tradere cogitur 73, 6 seqq. Pactyen in Thraciam abseedit 74, 2. Atheniensium ducibus ad Aegos potamos cum classe subsistentibus auxilia offert; verum condiciones ab eo

- propositae repudiantur XIII, 105, 3 seqq. Pharnabazi insidiis necatur XIV, 11.
- Alcidas, dux Lacedaemoniorum auxilio mittitur Mytilenaeis ab Atheniensibus obsidione pressis XII, 55, 5.
- Alcidas Spartanus, classis praetor in Corcyra XV, 46, 2.
- Alcidice, Alei filia, uxor Salmoni, mater Tyrus IV, 68, 1.
- Alcimenes, Iasonis et Medaeae f. IV, 54, 1.
- Alcimus, Demetrii Poliorcetae dux, in Rhodi obsessione cadit XX, 98, 9.
- Alcinous, Phacacis f., ad quem Ulysses venit IV, 72, 4.
- Alcippe Amazon IV, 16, 3.
- Alcisthenes Laco, Phocensium dux, ad Narycem proelio a Boeotis vincitur XIV, 82, 8.
- Alcisthenes, archon Athen. (Ol. 102, 1) XV, 50, 1.
- Alcmaeon, Amphiarai et Eriphylae f., dux Epigonorum IV, 66, 3. Matrem interficit IV, 65, 7.
- Alcman, poeta, Musas Coelo et Terra genitas ait IV, 7, 1.
- Alcmene I, 24, 4. Electryonis et Eurydices f., ex Iove mater Herculis IV, 9, 1; V, 64, 6. Postrema mortalium, quas Iuppiter amavit IV, 14, 4. Cum Hercule Tirynthe migrat in Pheneum Arcadiae urbem IV, 33, 2. Post mortem pro dea a Thebanis colitur IV, 58, 6.
- Alector, Elidis rex, socium regni assumit Phorbantem IV, 69, 2.
- Alegenor, Itoni f., pater Clonii IV, 67, 7.
- Aleos, Arcadiae regulus, pater Auges, quam ab Hercule stupratam Nauplio tradit IV, 33, 7 seq. Pater Alcicides IV, 68, 1.
- Aleria, urbs Corsicae V, 13, 3, ubi nunc legitur corrupte Calaris.
- Alesia, urbs Celtica ab Hercule condita; primus eam subegit Caesar IV, 19, 2; V, 24, 2.
- Aletes Corinthii regnum accipit ab Heraclidis VII, 9, 2; quam diu et ipse et posteri eius regnaverint, ibid.
- Aleuadae Larisaci, Alexandrum Macedonem contra Alexandrum Pheraeum tyrannum auxilio advocant XV, 61, 3. Philippi ope Thessaliae tyrannos debellant XVI, 14, 2.
- Alexander, rex Corinthiorum, Agemonis successor VII, 9, 5.
- Alexander I, post Amyntam I rex Macedoniae, cui succedit Perdiccas II, VII, 16, 5.
- Alexander II, Amyntae II patri in regno Macedoniae succedit; per unum tantum annum regnat XV, 60, 3. Ab Aleuadis contra Alexandrum tyrannum advocatus, Larisa et Crannone potitur XV, 61, 4 seq. A Ptolemaeo Alorita interficitur XV, 71, 1.
- Alexander Spartanus in finibus Tegeaticae regionis cum Argivis proelians cadit XV, 64, 2.
- Alexander, Olympiadis frater, post obitum Arymbae Molosorum regnum a Philippo rege obtinet XVI, 72, 7. Eius cum Cleopatra nuptiae 91, 4 seqq.
- Alexander, Pheraeorum tyrannus, Polydorum fratrem iugulat, eique succedit per annos undecim. Ab Aleuadis et Alexandro II Macedonum rege Larisa eiicitur XV, 61, 2 seqq. Contra eum Thessali

arcessunt Pelopidam, qui Larisam occupat 67, 4. Pelopidam et Ismeniam capit; ab Atheniensibus auxilia petit; hostem in angustias adigit 71, 2 seqq. Eius in Scotusaeos facinus impium 74, 1. Duobus proeliis victus subactas urbes reddere Thessalis cogitur 80. Cycladas insulas bello infestat. Atheniensium ducem Leosthenem vincit; Chares contra eum mittitur 95, 1 seqq. A Thebes uxoris fratribus Lycophrone et Tisiphono necatur XVI, 14, 1.

Alexander III Magnus, Chaldaeorum vaticinium accipit II, 31, 2. In proelio ad Chaeroneam primus hostium aciem perripit XVI, 86, 3. Caedis paternae auctoribus punitis ac patre sepulto, humanitate subiectorum sibi benevolentiam conciliat XVII, 2, 1 seq. Hecataeum in Asiam mittit, qui Attalum regno insidiantem e medio tolleret 2, 3 seqq. Graeciae civitates defectionem molientes, omnes brevi ad obedientiam reducit 3. Thessalos et Amphictyones comitate sibi adiungit; et Atheniensibus perterritis, in senatu Corinthio summus Graeciae imperator designatur 4. Thraces, Pacones et Illyrios rebelles perdomat 8, 1. In Thebanos defectores exercitum ducit; urbem obsidet, capit, excindit; incolas in servitutem vendit 8, 2 14, 4. Decem oratores, qui populum contra ipsum excitassent, ab Atheniensibus sibi dedi postulat 15, 1. Demadis prudentia reconciliatur 15, 5. De expeditione in Asiam suscipienda deliberationem instituit; sacra, ludos, convivia ante profectionem celebrat 16. In Asiam traiecit; in Troade copias recenset; faustis omnibus beatur 17. Minervae sacra facit 18, 1. Ad Granicum e regione hostilis exercitus castra ponit 19, 1. Proelium committit; sua manu Spithrobatam concidit; in summum venit vitae periculum; funduntur, fugantur hostes 19, 3—21, 6. In Lydiam movens Sardes capit 21, 7. Miletum, quo Persae profugerant, in ditionem accipit; classem prudenti consilio dissolvit 22. Halicarnassum oppugnat, tandemque capit; omnique litorali Asiae ad Ciliciam usque potitur 24—27. In morbum incidit, quo liberatur a Philippo Acarnane 31, 4 seq. Alexandrum Lyncestem suspectum redditum custodiae tradit 32, 1. Parmenionem Cilicias portas occupare iubet 32, 2. Issum occupat 32, 4. Proelio ad urbem commisso victor abit, castris et familia regia potitus 33, 36. Eius in Darii matrem, uxorem et liberos benignitas 37, 3—38, 7. Darii legatos de pace ineunda missos re infecta dimittit 39, 1 seq. Exercitu recreato, Aegyptum petentem ab urbe arceri conatur Tyrii 40, 1 seq. Tyrum post septem mensium obsessionem capit 40, 3—46, 5. Herculi Tyrio sacra facit, urbiq; regem dat Abdalonymum 46, 6. Gazam obsidenti Graecorum legati auream coronam ob Issensem victoriam afferunt 48, 6. Gaza

potitus in Aegyptum movet, quam absque Marte in ditio-
nem accipit 49, 1. Ad Am-
monis templum proficiscitur.
In itinere Cyrenensium legati
cum corona donisque occur-
runt 49, 2 seq. Quae responsa
ei dederit Iovis Ammonii sacer-
dos 51. In Aegyptum re-
gressus Alexandriam condit
52, 1 seqq. In Syriam pergit
52, 7. Veniunt Artaxerxis le-
gati amplissimas pacis condi-
tiones offerentes; accipien-
das esse censet Parmenio;
Alexander repudiat 54, 1 sqq.
Uxorem Darii defunctam
splendidissimo funere hono-
rat 54, 7. Tigrim transit 55,
3 seqq. E regione Persarum
castra ponit 55, 6, somno pro-
fundo correptus quiescit 56,
1 seq. Aciem instruit 57;
proelium ad Arbela commit-
titur; vincunt Macedones 58,
1—61, 3. Magna praeda lo-
cupletatus Babylonem tendit,
ubi ab incolis benigne exce-
ptus provinciarum recens oc-
cupatarum ordinat admini-
strationem 64, 3 seqq. Novas
ex Europa copias accipit. In
Sittacenam profectus exerci-
tus rationes denuo constituit;
ultra movet; Susarum arcem
ei tradit Abuletes satrapa 65.
Matre et liberis Darii Susis
relictis, Pasitigrim transgres-
sus Uxianae urbibus potitur
67. Persidem versus tendens
quum vi per Susiades petras
penetrare magna cum suorum
clade frustra tentasset, ca-
ptivo transitus duce usus cu-
stodes circumvenit et concidit
68. Hinc Persepolin con-
tendenti Tiridates urbem se
traditurum per literas polli-

cetur. Obviam sunt Graeci
captivi foede mutilati, quo-
rum infortunium generoso rex
animo sublevat 69. Persepo-
lin militibus diripiendam con-
cedit 70. Ipse arcis thesauris
potitur 71, 1. Victoriis festis
conviviis celebrat, inter quae
ebrius et Thaidis exhortatio-
ne impulsus regiam incendit
72. Reliquis Persidis urbibus
subactis in Darium movet;
quem tamen a Besso iam ne-
catum invenit 73, 1. Lacedae-
monii ad eum legatos mit-
tunt, qui delictorum veniam
petant 73, 6. Oratione et do-
nis ad continuandam secum
expeditionem milites adducit
74, 3 seq. In Hyrcaniam pro-
greditur eiusque oppida sub-
igit 75, 1 seqq. Mardorum
terram occupat et pervastat.
Optimus regis equus a Mar-
dis furto abductus, sed mox
restitutus 76. In Hyrcaniam
regressus Thalestri, Amazo-
num reginae, prolem excitare
studet; Persarum regum mo-
res luxumque aemulari coepit
77. Satibarzanem et Bessum
bellum moventes opprimit.
Drangenen petit 78. Conspi-
ratione in regem facta et per
Cebalinum aperta, insidiarum
auctores morte mulentur;
inter hos Philotas, Parmenio,
Alexander Lyncestes 79—80.
In Arimaspos s. Euergetas du-
cit; his et Gedrosiis Tirida-
tem praeficit; contra Satibar-
zanem denuo bellum moven-
tem mittit Erigyum et Sta-
sanorem; ipse Arachosiam
subigit 81. Paropamisadarum
regionem occupat 82. Supe-
rato Paropamiso, urbes duas
condit; in Bactrianam movet

contra Bessum, quem captum Darii cognatis ad supplicium tradit 83. *** (Lacuna. Vide summarium graecum libri XVII, §. 19—34. Excidit narratio de Alexandro multos milites in terris aqua desertis amittente; Branchidas Graecorum proditores puniente; contra Sogdianos, Scythas, Bactrianos rem gerente; de Clito a rege interfecto; de Callisthenis interitu; de expeditione contra Nautacas; de Alexandro Rhoxanen Oxyartis filiam ducente (conf. XVIII, 3, 3); excidit denique prima pars narrationis de expeditione in Indiam.) Massacenorum regina Alexandro se dedit; Alexander mercenarios Massacenorum contra datam fidem trucidat 84. Aornum Indiae rupem occupat 85. Aphricae Indi exercitum et elefantos in fidem accipit; Mophis, Taxilis filius, se regnumque tradit Alexandro, qui regnum ei restituit XVII, 86. Bellum contra Porum 87, 1—89, 1; post reportatam victoriam Soli sacra facit. Classem sibi parat; duas urbes condit. Poro ob virtutem regnum restituit 89, 3 seqq. Embisaurum regem ad imperata faciendum cogit 90, 4. Hephaestionem contra Porum, Pori nuper devicti nepotem, mittit; ipse Adrestas et Cathaeos subigit; Sopithae regnum in fidem accipit 91. Item regnum Phegei 93, 1. Ad Hypanin usque progressus etiam Praesiorum et Gandaridarum terras in potestatem redigere parat 93; sed refragante exercitu summo opere fatigato,

ab incepto desistit, 94 (conf. II, 37, 3); positis expeditionis monumentis, ad Acesinen fluvium redit, ubi classem et novas e Graecia copias invenit; urbes ad fluvium conditas Nicacaeam et Bucephalam nominat 95. Ad confluentes Acesinae et Hydaspis progressus, Sibirum terram invadit et subigit; Agalessenses proelio vincit 96. In Indi et Hydaspis confluentibus in summum vitae periculum incidit 97. In Oxydracas et Mallos arma movet; quorum urbem oppugnans vulneratur; ex hostium manibus a Peuceste eripitur 98—99. Pro restituta salute grates diis reddens, sacra et convivia instituit 100, 1. Iter Oceanum versus continuans, obvios populos subigit: Sambastas, Scodras, Massanos (apud quos Alexandriam urbem condit), Musicani, Porticani et Sambi regna 102. Hamartelia urbem oppugnat; cuius incolae telis veneno tinctis utentes magna Macedones calamitate afficiunt; antidotum regi per somnum offertur, quo tum alios tum Ptolemaeum sanitati restituit 103. Ad Oceanum provectus sacra facit, Oceano et Tethy aras extruit. (Potanam urbem ad Indum fluvium condit III, 47, 9.) Retro movet ad Taula oppidum; classem sub Nearcho oram legere iubet usque ad Euphratis ostia; ipse terrestri itinere pergit. Arbitas subiicit; inde a finibus Oritidis exercitu tripartito omnia vastat, et novam urbem Alexandriam condit 104. Magno cum labore desertas

- Gedrosiae et Carmaniae regiones peragrat 105. In laetiores terras delatus exercitum recreat; duces improbos castigat; provinciarum praefectis iubet ut conductitium militem exauctorent; Salmunte, urbe maritima, morantem convenit Nearchus 106. Susa profectus Statiram ducit; Drypetim dat Hephaestioni 107, 6. Sisis triginta millia iuvenum Persarum ad artem bellicam exercitatorum recipit 108, 1. Ludis Olympicis edictum promulgat, quo exulibus redeundi in patriam venia data (conf. XVIII, 8, 2 seqq.); milites aetate iam provectiores militiae sacramento absolvit, in seditiosos severe animadvertit 109. Dimissorum numerum novis augmentis explet; Sisis profectus venit Ecbatana, ubi Hephaestion moritur, cuius corpus Babylonem deferri iubet 110; Cossaeos debellat 111, 4 seqq.; contemptis Chaldaeorum vaticiniis Babylonem intrat 112. Legatos gratulandi causa undique convenientes admittit 113. Hephaestioni funus adornat omnium splendidissimum 114, 115. Otiosam et luxuriosam vitam amplectitur; instans mors prodigiis proditur 116. In comissione apud Medium Thesalam mero supra modum se onerat; in morbum incidit; moritur; morientis verba (conf. XVIII, 1, 4); anulum Perdiccae tradit 117. A nonnullis Antipatri opera pharmaco letali rex necatus dicitur 118, 1 seqq. Funus curandum datur Arrhidaeo XVIII, 3, 5.
- Mandata, quae Cratero rex dederat, post mortem eius a ducibus antiquantur XVIII, 4, 1 seqq. Alexandri corpus Alexandriam deportatum; loculi et currus descriptio XVIII, 26—28. Alexander M. Rhodum urbem maxime coluit, ita ut testamentum de toto regno illic deponeret XX, 81, 3. Alexandri animi altitudo XXX, 21, 3, 4. Eius filius Alexander XIX, 105, 2. Hercules XX, 20, 1.
- Alexander Lyncestes, Alexandri M. comes, literis Olympiadis regi suspectus redditus custodiae traditur XVII, 32, 1 seqq. Conspirationis in regem accusatus Macedonum iudicio capitis damnatur 80, 2.
- Alexander, Alexandri M. filius, una cum Rhoxane matre interficitur iussu Cassandri XIX, 105, 2.
- Alexander, Aetolorum praetor, in Thessaliam expeditionem suscipit, absente Antipatro XVIII, 38, 1.
- Alexander, Polysperchontis filius, Phocioni suasor est ut Piraeum occupet XVIII, 65, 3. Ad Piraeum castra metatur 65, 5; 68, 3. Urbibus Peloponnesi inhiat XIX, 35, 1. Isthmum contra Cassandrum praesidiis munit 54, 3. Cum Antigono societate inita, in Asiam transiit 60, 1. Ab Alexione Sicyonio interimittur 67, 1. Eius uxor Cratesipolis, ibid.
- Alexander, Macedo, Demetrii Polioretetae dux, noctu per fossam Rhodum urbem ingressus, a Rhodiis apprehenditur XX, 94, 5.
- Alexander, filius Cassandri et

- Thessalonices, frater Antipatri, Demetrium auxilio accessit, ab eoque interficitur XXI, 7.
- Alexander, Alcetae regis Epirotarum filius XIX, 88, 3.
- Alexander, Pyrrhi e Lanassa filius XXII, 8, 2.
- Alexander Bala, rex Syriae, imbecillus XXXII, 9 c. Fugit victus ad Dioclem Abarum in Arabia dynasten, cui filium Antiochum tradiderat ibique ab ducibus suis necatur, ibid. 9 d. Antiochiae praefecturam Hieraci et Diodoto tradit XXXIII, 3. Eius fuga et mors. Datum ei oraculum XXXII, 10.
- Alexandri Zabinae, Syriae regis, in captos defectores clementia XXXIV, 35. Eius sacrilegium et fuga, in qua capitur XXXIV, 28.
- Alexandria, urbs Aegypti I, 23, 1; 50, 7. Quantum distet ab Rhodo III, 34, 7. Eo advectae serpentes ingentes III, 36, 2. Regii in ea commentarii 38, 1. Eius origines et incrementa XVII, 52.
- Alexandria ad Paropamisum ab Alexandro M. condita XVII, 83, 1.
- Alexandria, in Sodraram et Massanorum regione ab Alexandro condita XVII, 102, 4.
- Alexandria in Oritide regione Indica ab Alexandro condita XVII, 104, 8.
- Alexandria, urbs Troadis XXIX, 7.
- Alexandrinorum in Aegypto dux Hegelochus XXXIV, 20.
- Alexias, archon Athen. (Ol. 93, 4) XIII, 104, 1.
- Alexion, Sicyonius, Alexandrum, Polysperchontis f., interimit XIX, 67, 1.
- Algidus, urbs Italiae XII, 24, 4.
- Alilaei Arabes eorumque regio III, 45, 6.
- Alium (?), Elidis oppidum XIV, 17, 8.
- Allifae, Samnitum urbs, a Marcio consule (Ol. 117, 4) capiuntur XX, 34, 2.
- Aloadae novennes quanti fuerint IV, 85, 7.
- Aloeus Otum et Ephialten mittit, qui Iphimedium uxorem a Thracibus Naxum abreptam reducerent V, 51, 1; 50, 6.
- Alope, urbs Locridis XII, 44, 1, ad quam Locrenses proelio vincit Cleopompus XII, 44, 1.
- Alpes (per) viam exercitui suo stravit Hercules IV, 19, 3. Ex iis defluit Rhodanus V, 25, 4.
- Alphaterna Nuceria a Romanis deficit XIX, 65, 7.
- Alpheus, in Elide fluvius IV, 13, 3; 14, 1; 68, 1.
- Althaea, Oenei uxor, fratrum caedem moleste ferens, Meleagrum filium diris devovet IV, 34, 5. Eius mors, ibid.
- Althaemenes, Catrei f., ne patris occisor existat, ex Creta migrat Camirum in Rhodo insula; sed ibidem filium quarens noctu appellit pater, quem ignarus interficit filius, ut oraculo erat praedictum V, 59, 1 seqq. Iovi Atabyrio templum in Rhodo ins. condit V, 59, 2. prae moerore ob caedem patris moritur V, 59, 4. Pro heroe a Rhodiis colitur, ibid.
- Aluminis metalla in Lipara insula; in Melo V, 10, 2.
- Alyzaei, in bello Lamiaco Atheniensium socii XVIII, 11, 1.
- Amalthea Ammoni parit Bacchum III, 68, 2; 74, 1.

- Amaltheae cornu, regio in Libya, III, 68, 3.
- Amaltheae cornu quid significet IV, 35, 4.
- Amalthea capra V, 70, 3. Ab ea Iuppiter audit *alyiozos* V, 70, 6.
- Amanus, Syriae mons XIV, 21, 4.
- Amara palus in Libya XVII, 49, 7.
- Amasis, rex Aegypti I, 42, 2. Homo superbus; bello cum petit et regno pellit Actisanes, rex Aethiopiae I, 60.
- Amasis, rex Aegypti I, 67, 1. Quomodo rex Aegypti factus sit I, 68, 3 seqq. Vir iustus et aequus, exercitus favore pollet 68, 5. Cypri oppida subigit; regnat 55 annis 68, 6. Legumlationi operam navavit 95, 1. Ad eum Elei legatos mittunt 95, 2. Polycratis tyranni amicitiam et foedus respuit 95, 3. Eius sepulcrum Cambyses diruit X, 13, 2.
- Amathusii in Cypro insula a Persis auxilia petunt contra Euagoram XIV, 98, 2. Eorum princeps Seleuco obsides dare cogitur XIX, 62, 6.
- Amazonum in Asia nationis initia II, 44, 2 seq. Sedes ad Thermodontem et Themiscyram urbs; mores et instituta II, 45; Martem et Dianam colunt II, 46, 2. Regnum ad Syriam usque extendunt. Regnante Hippolyte ab Hercule vincuntur (conf. IV, 16); ultima eorum regina Penthesilea ad Troiam ab Achille interfecta II, 46, 3 seq. Amazonum in Atticam expeditio IV, 28. Earum regina Thalestris Alexandrum M. convenit XVII, 77, 2.
- Amazones Libycae ob summam antiquitatem in dubium vocatae; earum species erant Gorgones III, 52. Gynaecocratia; virorum inter eas servilis conditio; sedes earum in Hespera insula III, 53. Hinc profectae sub Myrina regina bellum movent Atlantidis, Gorgonibus 54; Africae reliquis populis, Syris et Cilicibus, populis ad Taurum; insulis maris Aegaei 55, 1 seqq. Ab Hercule delentur III, 55, 3.
- Amazonium Athenarum unde dictum IV, 28, 2.
- Ambicae (fort. Halicyae) Siciliae castellum XX, 89, 3.
- Ambraciotae Lacedaemoniorum socii in bello Peloponnesiaco XII, 42, 4. Lacedaemonios in Acarnaniam avocant XII, 47, 4. Magna clade afficiuntur XII, 61; cum Acarnanibus in gratiam redeunt, et Lacedaemoniorum praesidium in urbem recipiunt 60, 5 seq. A Lacedaemoniis deficiunt XIV, 82, 3. Aristarcho suadente Macedonum praesidium urbe eiciunt XVII, 3, 3. Eos legatione et promissis demulcet Alexander XVII, 4, 3.
- Ameselum, urbs Siciliae, ab Hierone expugnata XXII, 13, 1.
- Amestris, Oxyartae filia, Crateri, postea Lysimachi uxor XX, 109, 7.
- Amilcar. V. Hamilcar.
- Aminias Atheniensis, frater Aeschyli poetae, proelio Salaminio virtutis palmam aufert XI, 27, 2.
- Aminias, archon Athen. (Ol. 89, 2) XII, 72, 1.
- Aminias, Rhodiorum dux, urbem a Demetrio obsessam defendens cadit XX, 97, 7.
- Amisus in Cappadocia ab Asan-

- dri duce Asclepiodoro obsidetur XIX, 57, 4. A Ptolemaeo, Antigoni legato, liberatur 60, 2.
- Ammon, Iovis cognomen I, 13, 2. Iovis pater I, 15, 3. Idem qui Osiris I, 25, 2. Libyae rex III, 68, 1. A Saturno proelio victus, in Cretam fugit, ubi ducta Creta rex insulae factus est III, 71, 2; 73, 18; 74, 1. Ammoniacae regionis rex Saturnus III, 71, 3; a Baccho expulsus 72, 5. Panchaeorum gentem debellat, eorum urbes Doam et Asterusiam solo aequat V, 44, 7. — Ammonis oraculum a Baccho institutum III, 73, 3. Cambysae adversus templum Iovis Ammonis expeditio X, 13, 3. Oraculi antistites corrumpere tentat Lysander XIV, 13, 5. Templum adit Semiramis II, 14, 3. Alexander M. XVII, 49, 7; 51. Templi descriptio XVII, 50, 3 seq. Oraculum Ptolemaeum I uti deum venerandum esse Rhodiis respondet XX, 100, 3.
- Ammoniacae in Libya regionis natura, situs, templa, memorabilia XVII, 50. V. Ammon.
- Ammonius, princeps Marathenorum XXXIII, 5, 1.
- Amosis, rex Aegypti, pyramidis auctor I, 64, 13.
- Amphalces, Antiphatae et Zeuxippae f. IV, 68, 5.
- Amphiarus, Hypermnestrae et Oeclis filius IV, 68, 5. Oeclis pater 32, 3. Cum Adrasto de regno contendit; Eriphylen ducit, quae invitum adegit ut cum Polynice Thebanam expeditionem susciperet 65, 6. Mandatum, quod Alcmaeoni filio relinquit, *ibid.* Vitae finis 65, 9.
- Amphictyonis, tribus Thuriorum XII, 11, 3.
- Amphictyones Lacedaemoniis ob occupatam bello Leuctrico Cadmeam, Phocensibus propter sacros agros opere rustico exultos multam irrogant XVI, 23, 2 seq. De bello communiter contra Phocenses gerendo decretum faciunt 28, 4. Suffragii ius, quod antea Phocenses habuerant, Philippo tribuunt 60, 1. Communi omnium decreto Alexandrum summum Graeciae ducem designant XVII, 4, 2.
- Amphilochi Romanorum decreto ab Aetolorum societate disiunguntur XXXI, 10, 3.
- Amphimacho Mesopotamia et Arbelitis ab Antipatro assignantur XVIII, 39, 6; XIX, 27, 4.
- Amphinome, Iasonis mater, a Pelia ad caedem poscitur; se ipsa interficit IV, 50, 2.
- Amphinome, Peliae f., uxor Andraemonis IV, 53, 2.
- Amphion, Centaurus ab Hercule occisus IV, 12, 7.
- Amphion (Iasi filius) Thebanus, pater Chloridis IV, 68, 6.
- Amphion et Zethus (Iovis et Antiopes filii) Thebarum urbem exstruunt XIX, 53, 5.
- Amphipolia (*ἀμφιπόλια*) Iovis Olympii, magistratus annuus Syracusanorum XVI, 70, 6.
- Ampbipolim 10,000 hominum coloniam deducunt Athenienses XI, 70, 5 (XII, 32, 3; XXXI, 10, 7). Urbs a Brasida capitur XII, 68, 1 seq. Brevis urbis historia, *ibid.* Ad eam proelium commissum, quo Brasidas et Cleon duces ceci-

- derunt XII, 74, 1 seq. Civitatem suis legibus uti iubet Philippus XVI, 3, 3. Ea potitur Philippus XVI, 8, 2. Ab Aristono, praefecto Olympiadis, Cassandro traditur XIV, 50, 8. Ibi repositus thesaurus Persei XXXII, 15, 2.
- Amphissenses in bello Peloponnesiaco Lacedaemoniorum socii XII, 42, 4. Ab Onomarcho imperata facere coguntur XVI, 33, 3.
- Amphitruo Tirynthe pulsus Thebas migrat IV, 10, 2. Eius formam mentitus Iuppiter IV, 9, 4; 10, 2.
- Amulius Silvius post Agrippam rex Latinorum; eius impietas et supplicium VII, 3 a, 10. VII, 4.
- Amulius, Procae Silvii filius, Numitoris frater natu minor, post obitum patris regnum usurpat VII, 3 a, 12. A Romulo et Remo interficitur, ibid. VIII, 4.
- Amynder, rex Athamanum XXXIII, 20.
- Amyntas I post Alcetam rex Macedoniae, cui successit Alexander I, VII, 16, 5.
- Amyntam, filium Philippi, in regnum reducere constituit Sitalces Thracum rex XII, 50, 3. (Philippus ille filius fuit Alexandri I, frater Perdiccae II, quem in parte quadam superioris Macedoniae regnasse suspicatur Spanhemius. Inde quum Perdiccas frater eum expulisset, filium eius Amyntam in paternam possessionem restituere Sitalces annixus est.)
- Amyntas II, Pausaniam Macedoniae regem interficit; eique succedens regnat 24 annis XIV, 89, 2. Amyntas, Philippi pater, regnum amittit; Thessalorum ope recuperat XIV, 92, 3. Olynthiis bellum infert; a Lacedaemoniis auxilia accipit XV, 19, 2. Foedus cum Iasone Pheraeo iungit XV, 60, 2. Amyntas, Arrhidaci f., e vita decedit; eius filii Alexander, Perdiccas et Philippus XV, 60, 3. Ptolemaeus Alorita XV, 71, 1.
- Amyntas, e Macedonia exul ad Darium fugit; post cladem ad Issum cum mercenariis Pelusium transiit, urbeque potitur; deinde contra Memphites pugnans cadit XVII, 48, 2 seqq.
- Amyntas ab Alexandro Gaza potito in Macedoniam mittitur, ut novas copias colligeret XVII, 49, 1.
- Amyntas, dux Rhodiorum, naves nonnullas Demetrii Poliorcetae demergit XX, 93, 5; 97, 5.
- Amyntas, Macedonum dux, ab Ariarathe rege Cappadociae interficitur XXXI, 27, 5.
- Amythaon, Crethi et Tyrus f. IV, 68, 3. Ex Aglaia Melampodis et Biantis pater IV, 68, 3. Eius filia Perimela, Antionis uxor IV, 69, 3.
- Anacalypra, munera sponsalia, pro quibus Proserpinae donata Sicilia insula V, 2, 3.
- Anacharsis Scytha, sapientia sua tumidus, Apollinis oraculum consulit IX, 5. Idem apud Croesum IX, 26.
- Anagninis bellum inferunt Romani XX, 80, 4.
- Anaphas, Artamnis filius, unus ex septem viris Magi interfectoibus. Ei Cappadociae principatus conceditur. Fili-

- um habet cognominem XXXI, 19, 1 et 2.
- Anaphas, Anaphae filius, rex Cappadociae; eius filii Data-mes et Arimnaeus XXXI, 19, 2.
- Anapus, fluvius ad Syracusas XV, 13, 4.
- Anaxagoras, rex Argivorum, Megapenthis filius IV, 68, 3.
- Anaxagoras, physicus, Euripi-dis magister I, 7, 7. Eius sen-tentia de causis incrementor-um Nili fluvii I, 38, 4. Peri-clis praeceptor; impietatis accusatur XII, 39, 2.
- Anaxander, dux Lacedaemonio-rum, a Thebanis capitur XVI, 39, 6.
- Anaxarchus philosophus, comes Alexandri M., cui ingressum in urbem Babylonem suadet, contentis Chaldaeorum vati-ciniis XVII, 112, 4.
- Anaxibius, Byzantiorum nauar-chus XIV, 30, 4.
- Anaxierates, militum dux sub Cimone militans proelio con-tra Megabyzum in Cilicia commisso cadit XII, 3, 4.
- Anaxierates, archon Athen. (Ol. 118, 2) XX, 45, 1.
- Anaxilaus, Rhegii et Zancles tyrannus, moritur Ol. 76, 1; XI, 48, 2; post eum pro filii nondum adultis regnum ad-ministrat Micythus XI, 48, 2. Qui, hortante Hierone, tute-lae rationes a Micytho exi-gunt XI, 66, 1 seq. A Rhegi-nis et Zancleis regno eii-ciantur XI, 76, 4.
- Bola, Latinorum urbs a Latino Silvio condita VII, 3 a, 7. Aequorum urbs, a Romanis expugnatur XIII, 42, 6 et XX, 90, 4. Ab Aequis oppugnatur XIV, 117, 3.
- Bolbitinum Nili ostium I, 33, 7.
- Bolco, Syracusanorum dux, a Ducetio victus, a civibus morte multatur XI, 91, 2.
- Bomilear una cum Hannone belli contra Agathoclem gendi dux creatur XX, 10, 1; tyrannidis affectandae consilia agit 10, 2 seq.; quare proelio cum hoste commisso de industria fugam arripit 12, 5 seq. Tandem tyrannum se declarat, sed oppressus a civibus supplicio afficitur 43, 1 — 44, 6.
- Boreanii, Hyrcaniae populus a Nino subactus II, 2, 3.
- Boreadae, Boreae progenies, gentili successione Hyperboreorum principes II, 47, 7.
- Boreadae (Zetes et Calais, Boreae et Orithyiae filii), Argonautae, Cleopatram germanam, Phinei uxorem, et eius filios liberant IV, 44, 2 seqq.
- Boreae uxor Orithyia, ex ea liberi Zetes et Calais Boreadae et Cleopatra IV, 43, 3. Eius-

- dem filii sunt Butes et Lycurgus, quorum illum ob insidias Lycurgo fratri structas solum vertere pater iubet V, 50, 2 seq.
- Bos, sacrum apud Aegyptios animal I, 11, 4. Conf. Aegyptii. Boum Indicorum apud Cynamolgos venatio III, 31, 2 seqq. Boves sacrae in Iberiae regione quadam ad Diordori aetatem usque habebantur IV, 18, 2.
- Bosporus, planta Indiae II, 36, 4.
- Bosporus Cimmerius IV, 28, 2. Eius regnum tenent Archaenactidae, et post hunc Spartacus XII, 31, 1. Seleucus, etc. 36, 1. Regum intestina bella XX, 22 seqq. Rex Eumelus XX, 100, 7.
- Bottiaci et Olynthii clade afficiunt Phanoctem et Xenophonem Atheniensium duces XII, 47, 3.
- Bottica regio in Macedonia VII, 17; XII, 47, 3.
- Brachmanes, Indiae populus XVII, 102, 7. Eorum urbs Harmatelia 103, 1.
- Branchidarum Miletii oraculum XIX, 90, 4.
- Brasidas, Lacedaemonius, Methonen ab Atheniensibus obsessam servat XII, 43, 2 seq. Eius in Pyli oppugnatione virtus 62, 1 seqq. Megara recuperat, per Thessaliam in Macedonia et Thraciam profectus Chalcidensibus opem fert; Acanthios in Lacedaemoniorum partes adducit; multis aliis urbibus defectionis auctor est 67, 1 seq. Amphipolin capit; Syme, Myrcino, Galepso, Torone aliisque Thraciae urbibus potitur 68. Ei Scionaei urbem committunt 72, 1. Proelio contra Cleonem ad Amphipolin commisso cadit 74, 1. Mater eius publicis honoribus ornatur, ib.
- Brennus, Gallorum dux, per Macedonia in Graeciam progressus, ad Delphos perit; successorem designat Cichorium XXII, 9, 1, 2. Graecos irrisit ob ligneas deorum statuas in templo Delphico repositas 4.
- Britanni Iridem habitantes hominum carnes vorant V, 32, 9.
- Britanniam primus subegit C. Iulius Caesar V, 21, 2. Insulae forma §. 3; magnitudo; incolarum origo, mores, victus 21, 3—22. De stanno eiusque mercatura 22.
- Britannicae insulae I, 4, 19; III, 38, 2. XV, 21.
- Britomartis, Dictynnae cognomento, ex Iove et Carme in Caenone urbe Cretica nata, Dianae amica, casses venatorios (*δίτυνα*) invenit V, 76, 3. Summopere a Cretensibus honoratur, ibid.
- Bromius Bacchus IV, 5, 1.
- Bruttii Sybaritas, qui ad Traentem fluvium cousederant, eiciunt XII, 22, 1. Bruttiorum populus e colluvie fugitivorum in Italia coalescit XVI, 15, 1, 2. Agathocli quattuor militum millia caedunt XXI, 3, 1. Agri eorum ab Agathoclis ducibus vastantur XXI, 8.
- Iunii Bruti calliditas X, 22.
- Bubali in Arabia II, 51, 2.
- Bubastus, urbs Aegypti Isidi sacra I, 27, 4. Persis se dedit XVI, 49, 7.
- Bubastus, urbs Chersonesi Cariae, ubi Parthenus, Staphyli filia, divino cultu honoratur V, 62, 4.

- Bucephala, urbs ad Acesinen fluv. ab Alexandro M. condita XVII, 95, 5.
- Bucephalus, Alexandri equus. Eius indoles. Capitur XVII, 76, 5. In mortui honorem urbs condita XVII, 95, 5.
- Budorium, Salaminis insulae castellum XII, 49, 3.
- Buphonas, Sicanorum dux ab Hercule occisus IV, 23, 5.
- Bura, Achaiae urbs, terrae motu diruta XV, 48, 3 seqq. A Demetrio in libertatem vindicatur XX, 103, 4.
- Burichus, dux Demetrii, cum classis parte insequitur Ptolemaeum ad Cyprum proelio navali victum XX, 52, 4.
- Busiris ab Osiride orae maritimae praefectus constituitur I, 17, 3.
- Busiris I, rex Aegypti I, 45, 4.
- Busiris II, rex Aegypti a Busiri I nonus; Thebas condidit I, 45, 4. Busiridis de impietate fabula unde orta sit I, 67, 11; 88, 5. Mittit quosdam, qui filias Atlantis raperent; raptas eripit, ipsumque interficit Hercules IV, 27, 2; 18, 1.
- Busiris, urbs Aegypti, unde nomen habeat I, 85, 5.
- Butas, Siciliae ad Erycem regulus, ex Venere pater Erycis IV, 23, 2; 83, 1.
- Butas una cum Tlepolemo Argis in Rhodum fugit V, 59, 6. Tlepolemo adversus Troiam profecto, insulae regnum administrat, ibid.
- Butes, Boreae filius, ob structas Lycurgo fratri insidias, patria relicta, cum Thracibus Naxum insulam occupat V, 50, 2 seq. Ex Thessalia rapit Coronidem; quamobrem in furorem a Baccho coniectus se ipse interficit V, 50, 5. Pater Hippodamiae IV, 70, 3.
- Buxentum, urbs Italiae, a Micytho conditur XI, 59, 4.
- Byblus, urbs Phoenices XIX, 58, 4. Byblia 3.
- Bytaeas, Sicanorum dux ab Hercule occisus IV, 23, 5.
- Byzantium, Byzantii. Urbs a Byzante rege nominata IV, 49, 1. A Pausania Persico iugo eximitur XI, 44, 3. Byzantii Bithyniam infestant XII, 82, 2. Ab Atheniensibus urbs deficit XIII, 34, 2. A Theramene et Alcibiade obsessa proditione capitur 64, 3; 66, 3 seqq. Byzantii seditione intestina et Thracum bello afflicti a Lacedaemoniis ducem expetunt; mittitur Clearchus, qui tyranni in modum in cives saevit; mox Byzantium relinquere a Lacedaemoniis cogitur XIV, 12, 2 seqq. A Lacedaemoniis ad Athenienses deficiunt XV, 28, 3. Thebanis eos adiungere studet Epaminondas 79, 1. Ab Atheniensibus deficiunt XVI, 7, 3. Perinthiis a Philippo obsessis auxiliantur 75, 2. Ipsi ab eodem obsidentur 76, 3. Auxilia iis mittunt Athenienses, Chii, Coi, Rhodii, alii; quare Philippus obsidionem intermittit 77, 2. De societate eos adeunt Antigoni et Lysimachi legati; ergo utrumque amicitiam servare placet XIX, 77, 7. Eos beneficiis afficit Eumelus Bospori rex XX, 25, 1. Byzantii temeritatis Andris cum quendam Persei regis filium se perhibentem honorandi poenas dant Romanis XXXII, 15, 6.

- Byzas, rex urbis Byzantii IV, 49, 1.
- Cabala, urbs Siciliae, ad quam Dionysius Magonem proelio vicit XV, 15, 3.
- Cacius, in Palatio colle Romano Herculem hospitio excepit. Huius opus sunt scalae Palatinae IV, 21, 2.
- Cacyrus (Carus apud Appian.), Celtiber ex Segeda urbe XXXI, 39.
- Cadmea IV, 65, 9; XV, 20, 2.
- Cadmea victoria Xerxis XI, 12, 1. Pyrrii XXII, 6, 1 et 2.
- Cadmeis gratificatus est Orpheus I, 23, 2. Cadmei Tilphossaeum fugiunt IV, 66, 5.
- Cadmus, sec. Aegyptios Thebis Aegypto oriundus, Semeles stupratae filium tamquam Osirim coli dolo effecit I, 23, 4 seq. Literas in Graeciam affert III, 67, 1. Quando vixit III, 74, 6. In Samothracia mysteriorum particeps factus Harmoniam ducit V, 48, 5. Nuptiae omnium primae deorum praesentia celebratae V, 49, 1. Dona a diis tunc oblata, ibid. Post nuptias Thebas condit V, 49, 2. Conf. IV, 2, 1. Ex Phoenice in Graeciam literas attulisse creditur V, 57, 5; 58, 3; 74, 1. Rhodum appulsus Neptuni templum condit, sacrorumque curatores ex Phoenicibus suis nonnullos ibi relinquit V, 58, 2. Lindiam Minervam donariis honorat, ibid. Eius ex Harmonia progenies IV, 2, 1. Pater Autonoes IV, 81, 3.
- Cadmus Milesius, historicus, de Nilo fabulosa narrat I, 37, 3.
- Cadusios subigit Ninus II, 2, 3. Eorum contra Medos bellum 33. Mediae regibus nunquam paruerit 33, 6. Contra reges Persarum belligerant XV, 8, 4; XVII, 6, 1. Cadusii in proelio ad Arbela XVII, 59, 5.
- Caecilius consul Hasdrubalem et Celtas in Sicilia magna clade afficit. Viginti elephantas, quos in potestatem redegerat, Romam mittit XXIII, 21. Ad Caecilium deficit Telestes Pseudophilippi dux XXXII, 9b.
- Caeneus, Coroni Lapitharum regis pater IV, 37, 3.
- Caenina, urbs Latinorum a Latino Silvio condita VII, 3a, 7.
- Caeno, urbs Cretae V, 76, 3.
- Caepio, pacem a Fabio cum Viriatho initam irritam facit; Viriathum insidiis caedit XXXIII, 1, 4. Tautamum perterrefacit, ib. Memoratur 21.
- Caeritae. V. Cerii.
- C. Iul. Caesaris primae res gestae in quem annum incidant I, 4, 7. Romanorum imperium usque ad Britannicas insulas prolatavit, ibid. Eius res III, 38, 2. Alesiam in Gallia expugnat IV, 19, 2. Primus Britanniam insulam in potestatem redegit V, 21, 2. Rhenum ponte iungit, et Gallos ultiores domat 25, 4. Corinthum restaurat XXXII, 27. Eius laus, ibid.
- Caesar Octavianus Romanorum coloniam Tauromenium ducit XVI, 7, 1.
- Caicus, amnis Asiae, quem expeditionis terminum statuit Myrina, Amazonum regina III, 55, 5.
- Caieta, Italiae portus, olim nominatus est Aeetes ab Argonautis IV, 56, 6.
- Caius (Quid supplendum sit sciri nequit), tribun. milit.

- cons. pot. (Olymp. 98, 3), XV, 2, 1.
- Calacte (*Καλή Ἀκτὴ*), urbs in Sicilia a Ducetio condita XII, 29, 1; 8, 2. Incolae Calactini.
- Calanus, philosophus Indus, vitae pertaesus in rogo moritur XVII, 107, 1 seq.
- Calaris (Aleria?), urbs Corsicae Phocacensium colonia V, 13, 3.
- Calbinus (A. Manlius?), decemvir Rom. (Olymp. 84, 1) XII, 23, 1.
- Calchedonem obsidet Theramenes XIII, 64, 3. Ab eo Atheniensibus subiicitur 66, 3.
- Calchedonii Bithyniam populantur XII, 82, 2. A Ziboete, Bithynorum rege, obsidentur; a Ptolemaeo, Antigoni duce, liberantur, cum quo societatem ineunt XIX, 60, 3.
- Calcis lixivium capillos lavant Galli V, 28, 2.
- Cales, fluvius prope Heracleam Ponticam XII, 72, 4.
- Callas, Harpali filius, Macedo in Troade cum Persis confli-gens vincitur XVII, 7, 10. Alexandro Thessalorum equitum dux 17, 4.
- Callas a Cassandro in Perrhaebiam mittitur contra Polysperchontem, cuius milites largitionibus corrumpit XIX, 35, 3; 36, 6.
- Callatia, Italiae urbs, a Samnitibus expugnatur XX, 80, 1; 112, 2.
- Callatiani, Ponti accolae, a Lysimacho deficiunt; ad imperata faciendae rediguntur XIX, 73, 1 seqq. A Lysimacho obsidione pressos patriamque relinquentes urbe agrisque donat Eumelus rex Bospori XX, 25, 1.
- Calliades, Atheniensis, unus ex decem ducibus in Alcibiadis locum substitutis, supplicio datur XIII, 101, 5.
- Callias, archon Athen. (Ol. 75, 1) XI, 1, 2.
- Callias, pater Myronidis Atheniensium ducis XI, 81, 4.
- Callias, archon Athen. (Ol. 81, 1) XI, 84, 1.
- Callias, pater Hipponici XII, 65, 3.
- Callias, Hipponici f., princeps Atheniensium legationis, quae pacem cum Artaxerxe composuit XII, 4, 5. Pacis cum Lacedaemoniis ineundae legem scripsit, ibid. Atheniensium Potidaeam obsidentium dux proelio cadit 37, 1.
- Callias, archon Athen. (Ol. 92, 1) XIII, 34, 1.
- Callias, archon Athen. (Ol. 93, 3) XIII, 80, 1.
- Callias, archon Athen. (Ol. 100) 4) XV, 28, 1.
- Callias, dux Phocensium XVI, 56, 3.
- Callias, Syracusanus historicus XXI, 16, 5. Summis laudibus prosequitur Agathoclem 17, 4.
- Callibius, Spartanus, praefectus praesidii, quod triginta viri Lacedaemone Athenas advocarunt XIV, 4, 4.
- Callicarpus, Aristaei filius IV, 82, 4.
- Callicrates, Ptolemaei I amicus, in Cyprum ad occidendum Nicoclem Paphiorum regem mittitur XX, 21, 1.
- Callicratidas post Lysandrum classi Lacedaemoniorum praefectus; eius indoles XIII, 76, 2. In Chio Delphinium castellum occupat; Teum urbem diripit; Methymnam proditione

- capit; contra Mytilenen exercitum movet 76, 3 seqq. Prospere rem gerit ad Mytilenen; Cononem in portu urbis inclusum obsidet; urbem ipsam oppugnat 77 seqq. In proelio ad Arginusas fortiter pugnans cadit 97 seqq.
- Callimachus, archon Athen. (Ol. 83, 3) XII, 7; 10, 3.
- Callimachus, archon Athen. (Ol. 107, 4) XVI, 52, 1.
- Callimedes, archon Athen. (Ol. 105, 1) XVI, 2, 1.
- Callimenes, Syracusanus, primus Iovis Olympii amphipolus XVI, 70; 6.
- Calliope, Musa IV, 7, 4. Vocis etymon, ibid.
- Callippa Persei pellex XXXII, 15, 5.
- Calliphon, Siculus, Apollodori Cassandreae tyranni consiliarius XXII, 5, 2.
- Callippus, Syracusanus, Dionis caedis auctor, cui in imperio succedit XVI, 31, 7. Ab Hipparino urbe eiicitur 36, 5. Cum Leptine praesidium Dionysii iunioris Rhegio eiicit 45, 9.
- Callisthenes, historicus, a priscarum fabularum relatione abstinet IV, 1, 3. Eius Hellenica ubi incipiunt, et quo usque perducta sint XIV, 117, 7. Conf. XVI, 14, 4.
- Callistratus, Atheniensis demagogus, belli Lacedaemoniis inferendidux creatur una cum Chabria et Timotheo XV, 29, 6; 38, 3.
- Callistratus, archon Athen. (Ol. 106, 2) XVI, 23, 1.
- Callixenus Atheniensis, qui capitalem in duces de Callicratis ad Arginusas victores sententiam pertulerat, in vincula coniecitur; e carcere elapsus ad hostes Deceleam fugit XIII, 103, 2.
- Callo, Epidauria, puella androgyna nubit; post virilium eruptionem vir agnoscitur; ut penis eius sine foramine sit curatus XXXII, 11.
- Calpetus, Cypis filius et in regno Latinorum successor VII, 3a, 8.
- L. Calpurnii Pisonis consulis mala fides ipsi perniciose XXXII, 18.
- Calydna insula primum a Caribus tenetur, deinde a Thesalo eiusque progenie V, 54, 1. Graeci Troia reduces huc tempestate delati cum indigenis se permiscunt, ib. §. 2.
- Calydon, urbs Aetoliae IV, 34, 1; 65, 2. Achaeorum praesidio custodita in libertatem vindicatur ab Epaminonda XV, 75, 2.
- Calydoniis contra Thesprotos auxiliatur Hercules IV, 36, 1.
- Calydonius aper a Diana Oenei agris immittitur IV, 34, 2; a Meleagro occiditur 34, 3.
- Camarinam occupant Geloï XI, 76, 5; XIII, 4, 2. Camarinaei auxilia mittunt Syracusanis 12, 4. Eorum agros populatur Himilco Poenus 108, 2. A Dionysio Syracusas migrare coguntur 111, 3. A Dionysio abalienati ad Leontinos divertunt 113; 4. Dionis socii XVI, 9, 5. Urbem frequentiore reddit et ampliat Timoleon 82, 7. Agathocle ad Ecnomum devicto, ad Hamilcarem deficiunt XIX, 110, 3. Ab Agathoclis milite graviter vexatis opem fert Xenodiceus dux Agrigentinarum XX, 32, 2. Urbs a Mamertinis excisa

- XXIII, 1, 3. Ab Hamilcare prodicione occupata, mox a Romanis capta 9, 4 seq.; 18, 1. XXIV, 1, 9.
- Cambalus, cognomen Gorgi Morgantini: quem vide, XXXIV, 11.
- Cambyses, frater Atossae, pater Cyri, regis Persarum XXXI, 19, 1. IX, 24. Rex Persarum, sub quo Persica arbor in Aegyptum translata I, 34, 7. Aegypto potitur I, 44, 3. Tempa Aegyptiorum expilat, et praeda regias Persiae exornat 46, 4; 95, 4. Circulum aureum monumenti Osymandyaec abstulit 49, 5. Aethiopes adortus in summum periculum incurrit III, 3, 1. Cambysae indoles X, 13, 1. Eiusdem in Amasis cadaver nequitia X, 13, 2; adversus templum Ammonis expeditio X, 13, 3. Afri et Cyrenaei ad eum, Aegypti dominum, legationem mittunt X, 14.
- Camelopardi Arabiae felicitatis II, 51, 1.
- Camelorum genera et utilitas in Arabia II, 54 seq.; III, 45, 4.
- Camelorum murus, Aegypti castellum, a Perdicca oppugnatur XVIII, 33, 6 seqq.
- Camera, urbs Latinorum a Latino Silvio condita VII, 3a, 7.
- Camicum in Sicilia IV, 78, 2. Agrigentorum castellum, prodicione a Romanis capitur XXIII, 9, 5.
- A. Camillus, tribun. mil. cons. pot. (Ol. 96, 3) XIV, 85, 1.
- Camira Oceanis. V. Caphira.
- Camirenses in Creta Iunonem Telchiniam colunt V, 55, 2.
- Camirus, Cercaphi et Cydippae filius, Camirum condit V, 57, 8.
- Camirus, urbs Rhodi, a Tlepolemo condita IV, 58, 8; a Camiro Cercaphi filio condita V, 57, 8. Huc ex Creta venit Althaeomenes 59, 2; XIII, 75, 1.
- Campani milites mercenarii Atheniensibus in Sicilia belligerantibus militant XIII, 44, 1. A Carthaginensibus non satis liberaliter dimissi 62, 5. Eorum ope Dionysius tyrannidem recuperat XIV, 9, 2. Entellam occupant 9, 9. Catinae a Dionysio habitanda datur 15, 3. Aetnam commigrant 58, 2. Quamvis ab Himilcone sollicitati, in Dionysii societate persistunt 61, 5 seqq. Campani Aetnam habitantes a Timoleonte delentur XVI, 82, 4.
- Campanorum gens in Italia quando coaluerit XII, 31, 1. Campani Cumam expugnant 76, 5. A Romanis deficient, sed mox pacem cum iis faciunt XIX, 76, 3 seqq. Campani Rheginos caedunt XXII, 1, 2, 3. Campanorum vitae mollities corrumpit exercitum Carthaginensium XXVI, 11.
- Campe monstrum a Baccho Ammonio ad Zabirnam Libyae urbem interficitur III, 72, 3.
- Campylus, Aetoliae fluvius XIX, 67, 3.
- Canace, Aetoli f., ex Neptuno parit Triopam V, 61, 3.
- Candalus, Solis e Rhodo f. V, 56, 5. Ex Rhodo insula Con proficiscitur V, 57, 2.
- Canes, Cephali f., Phylacensium rex, uxorem ducit Euadnen, Peliae filiam IV, 53, 2.
- Canes ab Aegyptiis religiose culti I, 18, 1. Canes Indici fortissimi XVII, 92.

- Canis (Sirii) in sidere oritur Isis I, 27, 4.
- Canis, Lesbi promontorium XIII, 97, 3.
- Canobicum Nili ostium I, 33, 8.
- Cantium, Britanniae promontorium V, 21, 3.
- Canusii a Romanis subiguntur XIX, 10, 2.
- Capaneus, Argivorum dux, ante Thebas cadit IV, 65, 8.
- Caphira (Camira?), Oceani filia, cum Telchinibus Neptunum educat V, 55, 1.
- Capitales poenas in Aegypto Sabaco abrogat I, 65, 3.
- Capitolium ab Iunonis anseribus servatur XIV, 116, 6.
- Cappadociam subigit Ninus II, 2, 3. Eumeni provincia assignatur XVIII, 3, 1. Ariarathe regulo devicto, a Perdicca Eumeni traditur XVIII, 16, 3. Nicanori ab Antipatro assignatur XVIII, 39, 6. Cappadociae regum stemma et tempora XXXI, 19. [Conf. Io. Ios. Hisely Disputatio de historia Cappadociae Trai. 1836, p. 116 seqq.] Cappadoces XXXVII, 28.
- Caprianus, mons Siciliae XXXVI, 4, 2.
- Caprima (Loryma?), urbs Cariae XIX, 68, 5.
- Caprium, castellum in Etruria, Romani expugnant XX, 44, 9.
- Capua, urbs Italiae XIX, 76, 4. Ad Hannibalis partes accedit XXVI, 11. Annonae penuria pressa 14. A Romanis rebellionem vexata XXXVI, 2, 2a.
- Capys, Assaraci f., pater Anchisae IV, 75, 5.
- Capys, Epiti Silvii in regno Latinorum successor VII, 3a, 3. Eius filius Calpetus, ibid.
- Carae sive Carrhae, pagi Babyloniae XIX, 12, 1; 91, 1.
- Carae, pagi Asiae ultra Pasitigrim siti XVII, 110, 3.
- Carani, Macedonum regis, genus secundum Theopompum aliosque scriptores recensetur VII, 15. Caranus ante primam Olympiadem cum copiis Peloponnesiis expeditionem in fines Macedonum suscipit VII, 16, 1; Orestarum rex auxilium eius contra Eordenses implorat mercedis loco dimidiam regni partem concedens 16, 2; Carano in regno succedit Coenus filius 16, 3.
- Carbae Arabes III, 46, 1.
- Carbonis et Silani a Cimbris accepta ingens clades XXXIV, 37.
- Carbunculi in Hespera insula III, 53, 6.
- Carcinus tragicus citatur V, 5, 1.
- Carcinus, Atheniensis, dux cum exercitu in Peloponnesum missus oras maritimas vastat XII, 42, 7.
- Carcinus, Reginus, Agathoclis tyranni pater XIX, 2, 2.
- Cardia, urbs Chersonesi XIII, 49, 3; XVI, 34, 4.
- Carduchi, gens Asiae, quorum regionem magna cum difficultate Graeci peragrant XIV, 27, 3.
- Cares, Psammetichi mercenarii I, 66, 12. In Asiam secum ferunt Augen IV, 33, 10. Latmia pulsi Naxum insulam tunc desertam occupant V, 51, 3. Eorum rex Naxus de se insulam nominavit, ib. Post Troiana tempora Symen insulam occupant; sed siccitate deinde ingruente pulsi ad Uranium considunt 53, 2. Cares in Cariae Chersoneso a Curetibus

- subiguntur 60, 3. Cares post Troiam captam maris imperium tenentes Cycladas insulas subigunt; postmodum vero barbara gens Carum iis ciicitur a Graecis VII, 12; V, 84, 4. Cares maris imperium tenent post Milesios VII, 13. Caribus de auxilio a Milesiis contra Persas petendo percontantibus oraculum quid responderit X, 25. Cares octoginta naves Xerxi contra Graecos suppeditant XI, 3, 7. Cares in bello Peloponnesio Atheniensium socii XII, 42, 5.
- Cariam subigit Ninus II, 2, 3. In eam venit Triopas, unde dictum Triopium promontorium V, 57, 6. Cariae Chersonesus unde nomen accepit V, 60, 1. Cariae urbes subiicit Cimón XI, 60, 4. Cariae regulus Hecatomnus XV, 2, 2. Caria Asandro assignatur XVIII, 3, 1 et 39, 6. Cariae urbes in libertatem vindicat Antigonus XIX, 75, 3 seqq. Caria, victo Antiocho, Rhodiis datur a Romanis XXIX, 11.
- Carina, urbs Mysiae XX, 111, 4.
- Carmania, Asiae regio XVII, 105, 7. Eius praefectus Tlepolemus XVIII, 3, 3; 39, 6. Carmaniam olim subegit Ninus II, 2, 3.
- Carme, Eubuli f., ex Iove in Creta parit Britomartin V, 76, 3.
- Carpasiam, Cypri urbem, expugnat Demetrius Antigoni filius XX, 47, 2.
- Carpathum insulam Minos tenuit; multo post Ioelus Argivus coloniam huc deduxit V, 54, 4; XX, 93, 2.
- Carthae in Mesopotamia. V. Carrae.
- Cursula. V. Castula.
- Carthaginienses Hecatompylum in Libya olim ab Hercule conditum in potestatem redigunt IV, 18, 1. Heracleam in Sicilia diruunt 23, 3. Venerem Erycinam colunt IV, 83, 4. Mercenarios rebelles in deserta insula exponunt V, 11. Sardiniae incolas indigenas ad servitutem adigere non potuere 15, 4. Tyrrhenis ob-sistunt ne coloniam in insulam a Phoenicibus repertam deducant 20, 4. Carthaginiensium colonia Ebesus in Pityussa insula 16, 3. Carthaginienses Iberiam tenentes, metallorum fodinas ibi aperiunt 38, 2. Saturnum sacris et diebus festis locisque ab eo dictis colunt 66, 5. In-ita cum Xerxe rege societate, Graecos in Sicilia et Italia bello opprimere moliuntur XI, 1, 4 seq. Copiarum ducem constituunt Hamilcarem (quem vide) 20, 1. Eorum classis ad Himeram a Gelone incenditur; pedester exercitus ad interneccionem caeditur 21, 3 seqq. Carthaginenses ex clade Himerensi superstitites, dum in patriam revertuntur, mari hauriuntur fere omnes 24, 2. Carthaginensium post acceptum cladis nuntium summa consternatio et luctus publicus 24, 3 seq. Legatos ad Gelonem mittunt 24, 4. Aequis conditionibus pacem a Gelone impetrant 26, 2. Damaretam, Gelonis uxorem, aurea corona honorant, ibid. Gelonis monumentum diruunt 38, 4. Himeram ur-

bem excindunt 49, 3. Ab Segestanis attrahuntur in Siciliam contra Selinuntios XIII, 43, 3. Eorum sub Hannibale in Sicilia res gestae 54—62 (vide Hannibal). Eorum potestati in Sicilia subiectas regiones populatur Hermocrates 63, 4 seq. Syracusanorum legatis de pace transigentibus aures non praebent; novum parant bellum; Therma urbem in Sicilia condunt 79, 8. Hannibalem iterum ducem creant, adiuncto Himilcone 80, 1. Exercitus pars in Siciliam praemissa ad Erycem a Syracusanis proelio navali vincitur 80, 6. Agrigentum obsident 85; peste infestantur; qua etiam Hannibal correptus succumbit 86, 1 seqq. Agrigentum capiunt et everunt 90 seqq.; 96, 6. Gelam obsidere constituunt, ib. Eorum bona in Sicilia Dionysii iussu diripiuntur; legatis Carthaginem missis bellum indicitur XIV, 46, 1 seqq. Exercitum conscribunt 47, 1 seqq. Interea Carthaginensium in Sicilia urbes aggreditur Dionysius 47, 7 seqq. — Subita incursione naves in Syracusarum portu diruunt 49, 1 seqq. Himilconem summum imperatorem creant; denuo copias colligunt 54, 4 seq. Eorum in Sicilia res gestae. V. Himilco. Post clades in Sicilia acceptas, sociorum in Libya defectione belloque affliguntur; deorum numina placanda putant; nova sacra Graecorum ritu instituunt 77. Receptis viribus bellum in Sicilia instaurant Magone imperatore (v. Mago) 95, 1 seqq. Initio

sub Magone duce duobus proeliis vincuntur, deinde sub Magonis filio magna victoria potiti, pacem Dionysio concedunt; pacis condiciones XV, 15—17. Hipponium antiquis incolis restituunt. Pestilentia afflicti Afri et Sardi deficiunt, sed in potestatem rediguntur 24. Carthaginienses conatus Dionysii novum parantis bellum reprimunt 73, 4. Cum iis pacem facit Dionysius iunior XVI, 5, 2. Carthaginienses Hicetam Syracusanorum principem sibi adiungere student 66, 1. Exercitum duce Hannone in Siciliam transmittunt 67, 2. Contra Timoleontem bellum parant 73, 3; 77, 4. A Timoleonte duobus proeliis funduntur 78—80. Gesconem Hannonis, ex exilio revocatum, ducem creant 81, 3. De pace legatos in Siciliam mittunt 81, 4; pacis conditionis 82, 3. Carthaginienses classem 60 navium in Siciliam mittunt XIX, 102, 8. Interea agros eorum et castella vastat et expugnat Agathocles, ibid. Eorum auxilium implorat Dinocrates, exulum Syracusanorum dux 103, 1. Magnum Syracusarum portum ingressi naves nonnullas pessumdant, captisque manus amputant 103, 4; eodem modo statim post captos nonnullos Carthaginenses tractat Agathocles 103, 5. Ecnomum collem occupant; contra Agathoclem ad proelium lacessentem descendere non audent 104, 4; nova classis 130 navium Carthagine duce Hamilcare in Siciliam mittitur; cuius maiorem par-

tem obruens tempestas pessumdat; damnum Hamilcar resarcire studet 106. Castris in Ecnomo colle positis et e regione stante Agathocle, utrosque a pugna deterret vetus vaticinium; tandem quum ad proelium res devenit, initio superior est Agathocles, mox vincunt Poeni 108—109. Plurimae Agathoclis urbes ad ipsos deficiunt 110, 3 seq. — Carthaginienses in Africa, Agathoclis adventu cognito, summa in trepidatione versantur XX, 9, 3 seqq.; Hannonem et Bomilcarem summos belli duces creant 10, 1; proelio commisso Hanno occumbit, Bomilcar suis inseruiens consiliis fugam arripit 12; Carthaginienses deos iratos placare student 14; in Siciliam mittunt, qui auxilia requirant et rumorem divulgent Agathoclem esse victum; castris hostium ad Tunetem positis, absente Agathocle, potiuntur; Tunetem obsident, sed mox stratagemate decepti, relictis machinis Carthaginem refugiunt 17, 2 seqq. Eorum oppida ducenta capit Agathocles 17, 6. Nonnulla recuperant 18, 1. Denuo clade afficiuntur 18, 2. In Sicilia exercitus a Syracusanis fugatur, Hamilcar dux captus trucidatur 29—30. Classis in ora Siciliae decem Syracusanis navibus potitur 32, 5. Caput Hamilcaris Carthaginiensibus in Africa ostendit Agathocles 33, 1; qui mox ex improvise adortus eos nova clade afficit 34, 6 seq. Acride inde proelio commisso iterum succumbunt 38. Bomil-

carem tyrannidem occupantem opprimunt, ac supplicio afficiunt 44, 2 seqq. Contra hostem tripartitum exercitum emittunt 59. Hannone duce Aeschionem vincunt 60, 3. Himilco Eumachum fundit 61, 4 seqq. Agathoclem Syracusis denuo in Africam transgressum proelio fundunt 64. Castrorum incendium magni tumultus et trepidationis causa 65 seq. Agathocle in Siciliam fuga elapso, cum relictis militibus transigunt, quartoque belli anno libertatem recuperant 69, 3 seqq. Cum Agathocle pacem faciunt; eius condiciones 79, 5. Contra eos novam expeditionem parat Agathocles XXI, 16. Carthaginienses Menoni contra Syracusanos belligeranti sese adiungunt XXI, 18. Hicetam ad Teriam fluvium clade afficiunt XXII, 2. Foedus pangunt cum Mamertinis contra Pyrrhum 7, 4. Rhegium oppugnare coeperunt, in societatem advocatis Romanis; sed ab incepto mox desistunt 7, 5. Syracusas obsidentes contra Pyrrhum ex Italia advenientem pugnare non audent 8. Carthaginiensium praesidium Agrigento exturbatur XXII, 10, 1. Carthaginiensium urbes Siculae a Pyrrho occupantur, praeter Lilybaeum; de pace legatos ad regem mittunt, frustra 10, 2 seqq. Pro Mamertinis faciunt; sed mox Messana eiectioni, una cum Hierone foedus pacti Messanam obsidione cingunt 13; XXIII, 1, 2. Carthaginiensium de pace ad Romanos legatio XXIII, 2. Ad

- Messanam a Romanis vincuntur 3. Carthaginienses Romanos in Africam traicientes facili negotio repellere potuissent, sed prae trepidatione rem gerendi opportunitatem praetermittunt 11. Eorum ad Regulum de pace legatio 12. Ob impendentium periculorum magnitudinem intermissa iam diu sacrificia revocant 13. Eorum dux Xanthippus 14. Proelio navali a Romanis vincuntur 18, 1. Classem Romanorum aggredi non audent 19. Selinuntios Lilybaeum transferunt XXIV, 1, 1. Ad Lilybaeum opera Romanorum incendunt XXIV, 1, 3; XXIV, 2. Sub Hannone vincuntur proelio navali 11. Pax cum Romanis facta 14. Bello adversus mercenarios gesto in summum discrimen adducti XXV, 2. Deficient Hippacriini et Uticenses 3, 2. Bellum contra mercenarios post quattuor annos finitur ab Hamilcare 5, 2. Carthaginienses de Sardiniae possessione multa sustinere certamina 7. Veniunt ad eos Romanorum legati, pacem aut belli optionem senatui Punico proponentes 16. Carthaginienses in Micatanos Numidas saeviunt; unde semper hi summo odio Poenos persecuti sunt XXVI, 23. Carthaginienses annonae penuria pressi com metu Scipionis potiuntur XXVII, 11. Quamobrem missi Carthaginem Scipionis legati vix effugiunt rabiem populi; sed tamen Scipio Carthaginiensium legatos, qui tempestatis vi in manus eius venerant, praestat incolumes XXVII, 12. Carthaginienses bello Massinissae illato foedus cum Romanis factum solvunt. De qua re legatos mittunt Romam XXXII, 2 et 3. Res patriae Romanis dedentes urbem deserere iubentes 6. Carthaginienses feminae pro patriae salute mundo se orbant 9. Urbs flammis vastatur 24. — Carthaginiensium in duces virosque illustris iniquitas XX, 10, 3. Saturno pueros immolant 14, 4. Carthaginienses mercenariis copiis potentes XXIX, 6.
- Carthago 160 annis ante coloniam in Pityussam ductam condita V, 16, 3. Flammis devastatur XXXII, 24; urbis portus 13; muri 14. Carthaginem delendam esse Cato, servandam Scipio contendit XXXIV, 33.
- Carthago nova in Hispania ab Hasdrubale condita XXV, 12
- Carthalo, Carthaginiensium praetor, auxilio venit Drepano urbi a Romanis obsesae XXIII, 18, 1. Post naufragium Romanorum Agrigentum occupat et incendit 18, 2. Naves aliquot Romanorum submergit XXIV, 1, 7. Cum eo configere non audent Romani, ib. Romanorum praesidium Aegithallo exturbat 10.
- Carystii in Euboea, Atheniensium socii in bello Lamiaco XVIII, 11, 1. Eos in societatem recipit Ptolemaeus Antigoni dux XIX, 78, 3.
- Carystus, urbs Euboeae, a Dryopibus condita IV, 37, 2.
- Casia, planta Arabiae felicitis II, 49, 3.
- Casius, mons in Syriae et Ae-


- gypti confiniis XX, 74, 2, a quo nominatus sit VI, 2, 10.
- Casius, Alexandri Balae dux XXXII, 9d.
- Caspiae portae in Asia II, 2, 3.
- Caspianam, Asiae regionem, subigit Ninus II, 2, 3.
- Caspii sive Hyrcani maris memorabilia XVII, 75, 3; II, 43, 5.
- Cassander, Alexandro M. Thracum et Paeonum in bello Persico dux XVII, 17, 4. Antipatri patris iussu, Antigono chiliarchus militat XVIII, 39, 7. Polysperchonti chiliarchus adiungitur 48, 4. Ipse sibi principatum vindicaturus cum Ptolemaeo aliisque arma sociare parat 49, 1 seq. Ad Antigonum in Asiam transit 54. Piraeum occupat 68. Aeginetas sibi adiungit; Salaminem obsidet, sed mox Polysperchontis interventu territus recedit 69, 1. Nicanorem cum classe ad Hellespontum mittit 72, 2. Plurimas Graeciae civitates sibi adiungit; cum Atheniensibus pacem facit, urbisque curatorem designat Demetrium Phalereum 74; Nicanorem in Piraeum reducem e medio tollit 75, 1. Cassandri frater Nicanor et centum ex amicis eius ab Olympiade necantur XIX, 11, 8. Ex Peloponneso in Macedoniam tendit contra Olympiadem; Callam contra Polysperchontem, Diniam ad occupandas Thermopylas mittit 35; Olympiadem in Pydna urbe inclusam obsidet 36. Eam in summas angustias adigit 49. Fugientem capit 50, 5. Pydna, Pella, Amphipoli positur 50, 6 seqq. Aristonoum ducem ac deinde Olympiadem necat 51. Thessalonicen, Alexandri sororem, ducit 52, 1. Cassandream urbem condit 52, 2. Rhoxanen cum filio Amphipoli custodiendam curat 52, 4. Eurydicen et Philippum regem magnifico funere honorat 52, 5. In Peloponnesum expeditionem suscipit, ibid. In Boeotiam delatus Thebas instaurat 53, 2; 54, 1. In Peloponnesum navibus transgressus Argos, Hermionidem et Messeniae urbes plerasque in suas partes pertrahit; deinde, relicto Molycco duce, in Macedoniam redit 54, 3 seq. Cassandrum Ptolemaei legati adeunt de bello contra Antigonum suscipiendum 56, 3. Veniunt Antigoni legati de servanda amicitia 56, 4. Ptolemaeo se iungens bellum parat 57. Ex Boeotia in Peloponnesum transit; Cenchrreas expugnat; Orchomenum capit 63, 4 seq. E Peloponneso in Macedoniam redit 64, 1. Societatem init cum Alexandro, quem Peloponnesi ducem et praetorem declarat 64, 3. Contra Aetolos expeditionem suscipit; Lycisco duce in Acarnania relicto, Leucadem sibi adiungit, Apolloniam capit; cum Glaukia Illyriorum rege foedus facit; Epidamnios in suas partes trahit; redit in Macedoniam 67, 3 seqq. Exercitum in Asiam mittit, ut sociis auxilium ferat et Antigonum a transitu in Europam arceat 68, 2 seqq. Per Philippum ducem Epirotas et Aetolos magnis cladibus afficit 74, 3 seqq. Cum Antigono colloquitur, sed re infecta discedit; Graeciae

- res iterum sibi vindicaturus Oreum obsidet; contra Telesphorum et Medium Antigoni duces pugnat 75, 6 seq. Orei obsidionem solvit, Chalcidem proficiscitur; mox de Macedonia timens, relicto Chalclide Plistarcho praesidii praefecto, Oropo capta, et societate cum Thebanis inita, in Macedoniam redit 77, 5 seq. Facta cum Alceta Epirota pace contra Apolloniatas defectores movet, sed proelio pulsus in Macedoniam redit 89, 2. Pace cum Antigono facta, summus Europae dux, donec Alexander Rhoxanes filius ad maturam aetatem pervenisset, declaratur 105, 1. Alexandrum et Rhoxanen interficit 105, 2. Autariatis in regione ad Orbelum montem sedes assignat XX, 19, 1. Ptolemaeum, Antigoni ducem, sibi adiungit 19, 2. Contra eum novus motus Polysperchon excitat 20. Pollicitationibus inducit Polysperchontem ut Herculem, Alexandri filium, e medio tollat 28, 1. Pacem facit cum Ptolemaeo hac conditione ut quas quisque tum haberet urbes in potestate retineret 37, 2. Cassandri praesidium Athenis pellit Demetrius 45. Cassander, Antigoni exemplum secutus, regem se appellat 53, 4. Frumenta Rhodiis a Demetrio obsessis suppeditat 96, 3. Cum eo bellum Demetrii 100, 6. Cassandri dux Prepelaus, Corintho eiicitur a Demetrio 103, 1 seq. Cassander ob Demetrii progressus sibi metuens pacem cum Antigono facere studet; hac spe deiectus Lysimachum, Ptolemaeum et Seleucum ad bellum contra Antigonum concitat 105, 106; in Thessaliam contra Demetrium movet 107, 1; 110, 3 seq. Res cum Demetrio componit 111, 1 seqq.; sed eo in Asiam regresso, Thessaliae urbes recuperat et Plistarchum ducem cum classe in Asiam Lysimacho auxiliatum mittit 112. Cum Ptolemaeo, Seleuco et Lysimacho contra Antigonum conspirat XXI, 1, 4. Corcyram obsidet 2, 1—3. Cassandri filii Antipater et Alexander; eius uxor a filio Antipatro interempta 7.
- Cassandream urbem in Pallene condit Cassander XIX, 52, 1. Urbis tyrannus Apollodorus XXII, 5.
- Cassiterides, insulae in Oceano Iberiae obiacentes a stanni ibi provenientis copia appellatae V, 38, 4.
- Sp. Cassius, consul (Ol. 75, 1) XI, 1, 2. Tyrannidem affectare visus, capitis damnatur XI, 37, 7.
- Cassopia, urbs Epiri XIX, 88, 3.
- Castabus, Chersonesi Cariae urbs, Hemitheae fano celebris V, 62, 1, 4.
- Castor, Argonauta IV, 41, 3. VI, 6.
- Castula (Carsula?) in Etruria a Q. Fabio consule (Ol. 117, 4) expugnatur XX, 35, 5.
- Catapultae Syracusis sub Dionysio tyranno inventae XIV, 42, 1.
- Cataracta (?), urbs Samnii, expugnata a Romanis XX, 26, 4.
- Cathaei, Indiae gens, ab Alexandro M. subigitur XVII, 91, 2. Eorum mos, ibid. §. 3.

- Catiliae coniuratio XL, 5. Catilina a Cicerone accusatus urbe excedit XL, 5a.
- Catina, urbs Siciliae, prioribus incolis ab Hierone eiectis, novis colonis e Syracusis et Peloponneso congregatis frequentatur; mutato nomine Aetna appellatur XI, 49, 1. Catinenses ab Hierone eiecti in Leontinorum civitatem transcribuntur, ibid. Hieronem post mortem heroicis honoribus afficiunt 66, 4. A Ducetio et Syracusanis victi in Inessam urbem commigrant; veteres Catinae cives patrias sedes recuperant 76, 3. Syracusanis contra Athenienses auxilia promittunt XIII, 4, 2. Cum Atheniensibus arma sociare coguntur 4, 5. Catina a Dionysio capta Campanis habitanda datur XIV, 15, 2 seq. Ad Catinam proelio navali Syracusani a Magone funduntur 59, 60. Catinensium tyrannus Mamercus Timoleonti se adiungit XVI, 69, 4. Catinenses, Agathocle ad Ecnomum devicto, ad Hamilcarem deficiunt XIX, 110, 3. Memoratur Catina etiam XXII, 8, 3; XXIV, 6.
- L. Cato Porcius cum Cn. Pompeio consul XXXVII, 2, 8.
- M. Catonis Porcii de luxuria Rom. querelae XXXI, 24 et XXXVII, 3. De Scipione dictum XXXII, 9a. De legatione ad Prusiam missa dictum XXXII, 20. Cato sententiam suam de Carthagine delenda usque repetens XXXIV, 33, 3.
- Catreus, Minois II et Pasiphaes f. IV, 60, 4. Cretensium rex, ab Althaemene filio occiditur V, 59, 1-3.
- L. Q. Catulus XL, 5, 1.
- Caucasus, Scythiae mons I, 41, 8; II, 43, 2. A nonnullis Paropamisus nuncupatur XVII, 83, 1. Promethei ibi spelaeum, ibid.; montem transit Alexander M., ibid.
- Caulonia, urbs Italiae XIV, 103, 3; XVI, 11, 3. Eam demolitur Dionysius; cives Syracusas transducit XIV, 106, 3.
- Caunum, Cariae urbem, Pharae Lacedaemonius oppugnat XIV, 79, 4. Antigonus expugnat XIX, 75, 5. Ptolemaeus I capit XX, 27, 3.
- Caystrius campus in Asia XIV, 79, 3.
- Cebalinus, a Nicomacho fratre de insidiis Alexandro M. paratis certior factus, rem indicat regi XVII, 79, 2 seqq.
- Cebalinus dux ab Antigono e medio tollitur XIX, 44, 1.
- Cebrenia, Troadis urbs, a Dercylida occupatur XIV, 38, 3.
- Cecrops eum *διφωής* fuisse dicitur I, 28, 7. Primus hostias adolet Minervae V, 56, 6.
- Cecryphalia, Peloponnesi promontorium XI, 78, 2.
- Cedon Atheniensis in proelio navali ad Samum contra Pollin Lacedaemoniorum nauarchum commisso alterum cornu classis Atheniensis duxit XV, 34, 5.
- Cei. V. Ceos.
- Celaenae, urbs Phrygiae XVIII, 52, 1; XIX, 69, 2; 93, 4.
- Celaeno, Atlantis in Libya regis f. III, 60, 4.
- Celaeno, Amazon IV, 16, 3.
- Celemetensium (?) ad Fulvium legati XXIX, 28.

- Celia, urbs Italiae, a Romanis capitur XIX, 101, 3.
- Celonae, Asiae populus, ad quos Euboei a Xerxe capti abducuntur XVII, 110, 4.
- Celtae, Oceani accolae, Dioscuros colunt IV, 56, 4; rei causa, ibid. Celtae et Galli ab ipsis Gallis distinguuntur, a Romanis uterque populus uno Gallorum nomine designatur V, 32, 1. Ceterum v. Galli. Celtae cum Iberis de agris certant; postea connubia cum iis contrahunt; unde orta natio Celtiberorum 33, 1. Celtae ebrii a Caecilio consule vincuntur XXIII, 21. Carthaginensium socii XXV, 2, 2. Celtae debellantur in Hispania ab Hamilcare XXV, 9. Cum Romanis bellum gerunt XXV, 13.
- Celtiberi, Iberi et Celtae connubiis mixti V, 33, 1; eorum virtus, vestitus, arma, pugnandi ratio, mores, victus etc. 33, 2 seqq. Minaces XXXIII, 24.
- Celtibericum bellum igneum XXXI, 40.
- Celtica II, 47, 1; V, 24, 1, 2. Celticam regionem adiens Hercules ne diutius ibi advenae immolarentur effecit, et Alesiam urbem condidit IV, 19, 1.
- Celticum Romanorum bellum XXV, 14.
- Celtici regis filia ex Hercule parit Galaten, a quo Galatarum s. Gallorum populus denominatur V, 24, 3 seqq.
- Cenaecum, Euboeae promontorium IV, 37, 5.
- Cenchreae ad Isthmum Pelop. XI, 16, 3; XV, 68, 3. Eas expugnat Cassander XIX, 63, 4.
- Cenomanis arma contra ius adi- mit M. Fulvius (Furius) praetor XXIX, 14.
- S. Censius, tribun. mil. cons. pot. (Ol. 96, 3) XIV, 85, 1.
- Centauri IV, 8, 4. Ixionis et Nepheles liberi IV, 69, 5; 70, 1. Bellum inferunt Pirithoo et Lapithis 70, 2; Centauri in nuptiis Pirithoi 70, 3. Ab Hercule debellantur IV, 12, 3 seqq.
- Centoripini in Sicilia XIII, 83, 4. Eorum princeps Damon XIV, 78, 6; Nicodemus XVI, 82, 4. Centoripini urbem Agathoclis praesidio firmatam Syracusanis exulibus tradituros se pollicentur XIX, 103, 3. Fraude detecta, molitionis auctores ab Agathocle iugulantur 103, 4. Urbem noctu clam ingressus Agathocles eiicitur XX, 56, 3. Centoripinis partem agri Ameseli dedit Hiero XXII, 13, 1. Obsessi a Romanis XXIII, 4, 1.
- Centrites fluvius Armeniae XIV, 27, 7.
- Ceos, ubi cultus Aristaeus IV, 82, 1.
- Cephaleniae urbes in potestatem redigit Tolmides XI, 84, 7. Ab Atheniensibus in societatis fidem recipiuntur XII, 43, 5. Cephalenia Messenii a Spartanis eiiciuntur XIV, 34, 2. Cephaleniae urbes Atheniensibus se adiungunt auctore Timotheo XV, 36, 5.
- Cephaloedium, castellum Siciliae XIV, 56, 2. Proditione occupatur a Dionysio XIV, 78, 6. Ab Agathocle expugnatur XX, 56, 3. A Romanis capitur XXIII, 18, 3.
- Cephalus, pater Canae, Phylacensium regis IV, 53, 2.
- Cephalus, Corinthius, Dioclis

- leges corrigit, iussu Timoleontis XIII, 35, 3; XVI, 82, 6.
- Cephalus, Epirota, Charopis calumniis oppressus Persei partibus se adiungit XXX, 5.
- Cepheus, pater Andromedae IV, 9, 1. Eius filii septemdecim, Herculis comites, in pugna contra Hippocoontis filios cadunt IV, 33, 6.
- Cephision, dux Thebanus XVI, 39, 2.
- Cephisodorus, archon Athen. (Ol. 103, 3) XV, 76, 1.
- Cephisodorus, archon Athen. (Ol. 114, 2) XVIII, 2, 1.
- Cephisodotus (Cephisodorus?) archon Athen. (Ol. 105, 3) XVI, 6, 1.
- Cephisophon, archon Athen. (Ol. 112, 4) XVII, 74, 1.
- Cephisus, Bocotiae fluvius I, 39, 13.
- Cephren, Chemmidis frater, rex Aegypti per 56 annos I, 64, 1; pyramidem unam exstruxit 64, 2.
- Cepi, locus ad Bosporum XX, 24, 2.
- Cepus, bestia, describitur III, 35, 6.
- Cerastae (serpentes cornuti) in Aegypto I, 87, 6.
- Cerasus, urbs Asiae, Sinopensium colonia XIV, 30, 5.
- Cerata, colles in Megaride XIII, 65, 1.
- Ceraunaea (Cesauna?), urbs Italiae XX, 26, 3.
- Ceraunii montes in Libya III, 68, 1; 70, 4.
- Cerberum ex Orco ad superos adducit Hercules IV, 26, 1.
- Cercaphus, Solis e Rhodo f. V, 56, 5. Post Ochimum regiam habet in Rhodo potestatem; uxor eius Cydippe, Ochimi filia V, 57, 7. Cercaphi filii
- tres Lindus, Ialysus et Camirus, qui regnum inter se partiti sunt V, 57, 8.
- Cercina, insula maris mediterranei V, 12, 4.
- Cercola (Oericoli?), locus Italiae XXXVII, 2, 7.
- Cercopes, praedones, in Lydia ab Hercule delentur IV, 31, 7.
- Cercyon a Theseo interficitur IV, 59, 5.
- Ceres, comparatur cum Iside Aegyptia I, 13, 5; V, 69, 1. (Conf. Demeter). Cur Erechthei tempore Atticam venisse dicatur 29, 2. Bacchi ex Iove mater III, 62, 6; 64, 1. Fruges largitur hominibus IV, 3, 5; V, 77, 4. In Herculis honorem parva mysteria instituit IV, 14, 3. Cereri et Proserpinae Hercules sacra instituit apud Syracusanos IV, 23, 3. Ei sacra est Sicilia V, 2, 3. Ceres et Proserpina frugum in Sicilia repertrices 2, 5 et 4, 3. Ceres Proserpinam investigans 4, 3. Cereri quo anni tempore et qua ratione festa peragantur a Siculis V, 4, 5. Ceres Cadmo in nuptiis fruges offert 49, 1. Cereris lacus excisus a Triopa V, 61, 7. Ceres, Rheae et Saturni filia; eius de hominibus merita 66, 1. Post raptam filiam Iovis odio et moerore omne frumentum comburit, ib. §. 2. Filia inventa, Iovi reconciliata Triptolemo semina frugum tradit, ib. — Ceres *Ἐσσοπόρος* I, 14, 4; I, 25, 1; V, 5, 2; V, 68, 3. Mater Eubuli V, 76, 3; ex Iasione mater Pluti V, 49, 4; 77, 1. Ceres, Saturni et Rheae filia V, 68, 1. Coeli e Vesta filia VI, 2, 8. Ei Syracusis templum exstruit



- Gelo; eidem aliud aedificare coepit ad Aetnam XI, 26, 7; ei sacra instituunt Carthaginienses XIV, 77, 5.
- Cerfennia, urbs Italiae (v. Serennia) XX, 90, 4.
- Cerii (Caeritae?) Gallorum partem in campo Thrausio obtruncant XIV, 117, 6.
- Cerne, Atlantiorum ad Libyam occidentalem insula, ab Amazonibus occupatur III, 54, 4. Cernaei 5.
- Cersobleptes, Cotyis f., a Philippo abalienatus, Chersonesi urbibus praeter Cardiam Atheniensibus cedit XVI, 34, 4. A Philippo vincitur 71, 1.
- Cerycum (*κηρύκων*) in Attica dignitas a pastophoris Aegyptiis derivanda I, 29, 4.
- Cerynes, Temeni f., patri insidiatus VII, 14a.
- Ceryniam in Cypro expugnat Seleucus XIX, 62, 6. Ceryniae princeps cum Antigono societatem init XIX, 59, 1; a Ptolemaeo Aegypti rege comprehenditur XIX, 79, 4.
- Cetes s. Proteus (quem v.), rex Aegypti I, 62, 1.
- Ceteus, Indorum dux in Eumenis exercitu, proelio cadit; uxorum eius contentio heroica XIX, 33 seq.
- Ceyx, Trachiniae rex, ad quem Calydone commigrat Hercules cum Deianira IV, 36, 5. Heraclidas e ditione sua expellere ab Eurystheo iubetur 57, 1 seq.
- Chabinus, mons in ora Arabica III, 45, 3.
- Chabrias, archon Athen. (Ol. 91, 2) XIII, 2, 1.
- Chabrias, Atheniensis, in locum Iphicratis succedens Corinthum mittitur XIV, 92, 2. Ab Acori Aegypti rege dux copiarum creatur; mox in patriam revocatur XV, 29, 2 seq. Belli Lacedaemoniis inferendi dux designatur 29, 6. Nova pugnae ratione utitur contra Agesilaum in Boeotia 32, 5. Lacedaemonios proelio navali inter Parum et Naxum commisso vincit 34, 4 seqq. Abderitis contra Thraeces auxiliatus, dolo interfectus est (ut summa acrisia ponit Diodorus; non enim de alio Chabria quodam, nec de alio nomine a scribis corrupto cogitandum est) 36, 4. Lacedaemoniis auxilio missus, Thebanos ab introitu Peloponnesi arcerestudet 68, 1. Corinthum contra Boeotos defendit 69, 1 seq. Tacho regi militat, classis praefectus 92, 3. Contra Chios proelio commisso cadit XVI, 7, 3, 4.
- Chabryes, Chemmidis filius et secundum nonnullos in regno successor I, 64, 1.
- Chaereas, dux Atheniensium XIII, 49, 6; 50, 10; 51, 2.
- Chaerondas, archon Athen. (Ol. 110, 4) XVI, 84, 1.
- Chaeronea, urbs Boeotiae, a Tolmide capitur XII, 6, 2. Obsidet eam Onomarchus; obsidionem solvunt Thebani XVI, 33, 4. Prope urbem Phalaeus Phocensium imp. a Boeotis vincitur 38, 7. Proelio clara, quo libertatem Graeci amiserunt XVI, 85, 2 seqq.
- Chai (Taochi?), Asiae populus XIV, 29, 1.
- Chalcidenses Euboeae, ex decimatione consecrati, Apollinis iussu Rhegium condunt VIII, 23, 2; XII, 54, 4. Eorum coloniae Torone XII, 68,

- 6, et Leontium XII, 53, 1. Cum aliis Bocotis ab Atheniensibus deficientes Euripum aggere obstruunt XIII, 47, 3 seqq. Demetrius Bocotorum praesidio liberat XX, 100, 6.
- Chalcidenses Thraciae Perdicca auctore ab Atheniensibus deficient, et in unam Olynthum urbem commigrant XII, 34, 2. Bellum iis movet Sitacles Thrax 50, 3. A Lacedaemoniis deficient XIV, 82, 3.
- Chalcidenses in Sicilia contra Syracusanos bellum gerunt; quod mox ab his componitur metu Carthaginiensium XIII, 56, 2.
- Chalcidicae Thraciae urbes a Philippo subactae XVI, 52, 9.
- Chalcidicus, collis prope Mesaniam XXIII, 1, 3.
- Chalcioecos Minerva XI, 45, 5.
- Chalcis, Asopi et Metopes f. IV, 72, 1.
- Chalcis, urbs Euboeae, ab Atheniensibus occupatur X, 24, 3; XIII, 47, 5. Cassandri praesidio tenetur XIX, 77, 6. A Ptolemaeo, Antigoni duce, liberatur XIX, 78, 2. A Boeotorum praesidio occupata, in libertatem vindicatur a Demetrio XX, 100, 6. V. etiam XXIX, 1 et 2.
- Chalcis Arabiae in confiniis XXXIII, 4a.
- Chaldaei sacerdotes, astrologi I, 28, 1; II, 24, 2; XV, 50, 3; a Belo oneribus publicis eximuntur I, 28, 1. Aegyptiorum discipuli 81, 6. Eorum officia et studia II, 29. Doctrina de mundi natura, planetarum et fixarum stellarum systemate, de luna et terra et chronologia 30 et 31. Vaticinia data Alexandro XVII, 112, 2 seqq.; et Antigono XIX, 55, 7.
- Chaldaei s. Chalybes, Asiae populus XIV, 29, 2.
- Chalestrum in Macedonia a Perseo expugnatur XXX, 4.
- Chares, archon Athen. (Ol. 77, 1) XI, 53, 1. Cum Callia pacis cum Lacedaemoniis incundae legem et condiciones scribit XII, 7.
- Chares Atheniensis Phliasios ab Argivis obsessos liberat XV, 75, 3. Post Leosthenem dux Atheniensium classis constitutus, vesania sua efficit ut patria male apud socios audiat 95, 3. Chium oppugnat XVI, 7, 3, 4. Chareti collegae adduntur Iphicrates et Timotheus 21, 1. Hos orta tempestate navale proelium committere nolentes proditionis accusat, utque a munere removentur efficit 21, 4. Artabazo, qui a rege defecerat, inconsulte auxiliatur 22, 1 seq. Sestum capit 34, 3. Atheniensium dux in proelio ad Chaeoneam XVI, 85, 2.
- Chariades, Atheniensium dux cum classe in Siciliam mittitur XII, 54, 4 seq.
- Charicles Atheniensis cum 30 navibus in Peloponnesum mittitur XIII, 9, 2.
- Chariclides, archon Athen. (Ol. 104, 2) XV, 82, 1.
- Chariclus (Charilaus), post Eunomum rex Lacedaemoniorum VII, 8, 4.
- Charidemus Atheniensis Persis militans, quum optima consilia daret Dario Codomanno, ob nimiam oris libertatem neci traditur XVII, 30, 2 seqq.
- Charinus, archon Athen. (Ol. 118, 1) XX, 37, 1.

- Charisander, archon Athen. (Ol. 101, 1) XV, 36, 1.
- Charmus, Aristaei filius IV, 82, 4.
- Charmuthas, peninsula Arabiae cum portu eximio III, 44, 7.
- Charon apud Aegyptios I, 92, 2. Charonem Graeci finxerunt ad imitationem Charonis illius, qui apud Aegyptios in funerationum ritibus cadaver navigio vehit I, 96, 8.
- Charondas, Thuriorum legislator XII, 11, 3. Legum specimina 12; literarum magnam habet curam 13, 1 seq. Poetarum loci, quibus Charondae leges laudantur 14; lex de orphanorum tutela 15; leges in milites ignavos et desertores 16; leges temere novandi conatus repressi 17, 1 seq. Novatarum legum exempla 17, 4 seqq. Charondae mors voluntaria 19.
- Charops Thraciae regnum a Baccho accipit III, 65, 6; pater Oeagri, ib.
- Charops, Epirota, servum mittit ad Flaminium, qui Romanos per montium angustias in Macedonia duceret XXX, 5.
- Charops, Epirota (nepos praecedentis), malis suis artificiis Epiri quasi tyrannus evasit XXX, 5; XXXI, 31. Mater eius Philota, ib.
- Charopus ex Aglaia gignit Nireum; Symes insulae regem V, 53, 2.
- Chaon, Mediae urbs, ad quam paradysum condit Semiramis II, 13, 3.
- Chelone, locus in Megaride IV, 59, 4.
- Chelonophagi Aethiopes III, 21.
- Chemmo, urbs Thebaidis; Panis urbs a Graecis dicitur, quum Pani, Osiridis olim comiti, sacra sit I, 18, 2.
- Chemmis, rex Aegypti, 50 annis regnat; tres pyramides extruit I, 63, 2; eius frater Cephren; filius Chabryes 64, 1.
- Chenac, pagus Maliensis, Mysonis sapientis patria IX, 5.
- Chenius, mons Asiae XIV, 29, 3.
- Chersonesii a Thracibus vexati Dereylidam ex Asia auxilio advocant XIV, 38, 6.
- Chersonesus, urbs in Libya ab Amazonibus in Tritonide lacu condita III, 53, 6.
- Chersonesus rex de se nominavit Chersonesum Cariae V, 60, 1.
